2

CARMINA

De rebus diuinis ſcripta,

à

IOHAN: MAIORE
ex Valle S. Ioachimi: D.

Edita in lucem

ANNO

M. D. LXXVII.

IN NATALEM DOMINI.

HÆC cùm ſuſpicimus magni cæleſtia mundi
Templa ſuper, grataſq; vices & lucis & anni,
Et venit in mentem Solis, Lunæq; viarum,
Et quòd conſpirent tacitè fixa æthere in alto
Corpora, cum rebus natis tellure ſub ima;
Menſq; hominis teſtis factorum viua, tremenſq;
Ante nefas, & frons auditis decolor auſis:
Confeſtim ratio perſuadet gentibus Orbis,
Eſſe Deum Mentem, qua diſponente ſagaci
Conſilio, extiterit rerum natura creata,
Et talem, cui ſint curæ mortalia ſecla,
Quæ facta inſpiciat, fandi memor, atq; nefandi.
Clariùs his autem indicijs, multòq; verendum
Augurium conſtat magis, atq; illuſtrius omen,
Nos homines, terra genitos, & ſemine vili,
Eſſe Dei curam: quia nam de ſede latente
Emicuit Pater, & nobis ſermone magiſtro
Recluſit numenq; ſuum, mentemq; benignam.
His autem porrò magis omnibus altior vna
Exit in aſpectum nota veri, & dulcis amoris,
Quòd ſoboles, viuenſq; æterni Patris imago
Fit genibus minor, & ſupplex in vota, preceſq;
Antè Patrem ſoluit linguam, veniæq; repentè

Offert ſe mediam, & mox noſtrum crimen, & iras
Aeterni Patris in crimen, pœnasq; ſequaces
Spontè ſuis humeris recipit, ceu triſte piaclum,
Atq; humilis tandem in noſtram collecta figuram
In ſe noſtra luit delicta, ſuamq; viciſſim
Iuſticiam in noſtros impendit Filius vſus.
Isq; antè ora hominum qui ſit, confeſſus, et vnde,
Expoſuit corám cur hæc in fœdera venit.
Et res ipſa fidem dictis dedit, æthere caſſis
Cùm lucem afflaret, rurſusq; referret in auras.
Quantum culpa malum eſt, quæ tantam afferre ruinā
Vnius ob noxam potuit, quæ reſpuit omnem
Humani generis medicinam, atq; arte leuari
Non alia voluit, niſi decernente ſenatu
Tergemino, ſatus ipſe Deo noſtra ora, figuramq;
Acciperet, lethoq; daret caput obuius vltrò?
Quantum deinde bonum eſt patris indulgentia,
Qui dū ferret opem, natū, ſua gaudia, natū (et ardor:
Vnigenam, conſortem æui, ſine fine, ſine ortu,
Conſilij, atq; operum ſocium, cùm conderet Orbem,
Victus amore hominum cœlo demiſit ab alto,
Prætulit & noſtrum genus ipſi, & funere acerbo
Inſontem merſit, ſontes vt ſeruet in ipſo.
Dic mihi: quando aliquid maius ſe fecerit ipſo
Maximus ille Deus, qui verſat ſidera nutu?
Quando locum veniæ dederat ius, iraq; amori.
O felix labes, cui talis ſorte redemtor
Contigerit, qui plus retulit, quàm perdidit Adam:

Grandius

Grandius et Chriſti precium eſt, quàm crimen Adā-
Hic carnis ſuſcepit onus, quò Numinis alis (mi.
Nos homines vectos vltro portaret ad aſtra.
Ergo tuus natalis adeſt; luxq́ alma diei
Vmbris preſſa prius capit incrementa viciſsim,
Perq́ gradus Sol aſſurgens obliquus ab Auſtro
Teſtatur creuiſſe tua ſua lumina luce,
CHRISTE Deus, ſate Patre Deo, ſate virgine
Nam dius fulgor vibratæ lucis, & auræ (matre.
Brumalem infecit noctem, quæ prima ſub auras
Te puerum excepit: volitantesq́ aëre in alto
Accincti iuuenes, perfuſi lucis amictu
Noctem illam in ſyluis ſeſe exhibuére videndos,
Et cœtu cinxére polum, cantusq́ dedére.
Tu lux vera hominum patria de luce reſultans
Clarum infers Orbi iubar, in caligine denſa
Degenti vitam, & latitanti mortis in vmbra.
Nanq́ ſono Verbi, patrio quod corde tuliſti,
Cordibus inſpiras flamen cœleſte, nouamq́
Lucem animis fundens, colluſtras pectora cæca
Notitia Patris ætherei, nouaq́ efficis intus
Iuſticiæ decora, & vitæ das dona perennis.
Ille ſacri Verbi ſonus hæc noua lumina mundo
Offert in medium, repletq́ nitoribus omnes,
Quando fidē huic tribuāt proni, aſſenſuq́ ſequantur.
Hoc luſtrante homines, lucis color, aureaq́ vnà
Integritas, & vita recens in mente refulget.
Hinc vt lux oculos magis, & magè corda feriret:

In cæcis pecudum latebris, & noctis in vmbra
Editus, æthereo mundum ſplendore ſerenas,
Atq; in te ſpecies veræ patefacta ſalutis
Diſpulit errorum tenebras, vmbrasq́; retexit,
Inq́; diem nox cæca abijt, lucemq́; tenebræ.
O nox, quæ Solis radios, telamq́; diei
Exuperas, ſola in melius tu cuncta tuliſti,
Quæ non vlla dies poterat conatibus vllis
Freta tuis armis Gideon, ſacrisq́; capillis
Intonſi Simſonis, & aris ſanguine tinctis
Vittati Aronis, vel Moſis lege ſeueri.
Sub te magna Deus geſsit ſpectacula rerum:
Aegypti primos ſpoliauit lumine fœtus,
Et populum à Pharij regis ditione reduxit
Antiquæ in patriæ fines, fataliaq́; arua.
Sic te, dum medio voluuntur ſydera lapſu,
Chriſte dedit partu virgo ſine lege virili,
Qui populum à regno tenebrarum, & triſtis Auer-
Seruitio, lethiq́; vmbra, ſub lucis amica (ni.
Imperia, in patriam, libertatemq; referres.
Huius in exortu lucis, Patris emicat ardor
Inq́; genus noſtrum pietas, & prodiga flamma,
Quòd natum letho oppoſuit, terrisq́; volebat
Omnibus ærumnis affectum ducere vitam,
Dum modò ferret opem, & nobis mala noſtra leua-
Nec dia affulſit ſpecie, ſed imagine ſerui, (ret
Vt dominos cœlo aſſereret, ſtygijq́; retentos
Iure ducis, manes rurſum in ſua iura referret.

Quis,niſi cui crudo ſit cornea fibra,Deiq́;
Securus, propriiq́; boni, bona tanta tacendo
Diſsimulet,vocemq́; premens indicta relinquat?
Cùm tibi magne Pater gaudentes gaudia noſtra
Aligeri grates referant, & carmina dictent.

Ne tamen ad laudes tenues,& languida vota
Nec paria illa tuis magnis,ac debita factis
Reſpice;ſed ſtudium quod vocem hanc exprimit ori.
Sæpe etiam impubis grex eſt tibi grata locutus,
Nam tu mente ſatus,mentem,non munera ſpectas.
Et neq́; fas ſenſu capere, & proferre loquela
Tantum opus,vt dignum eſt. Hoc gratius euenit ip-
Quod ſimplex eſt auſus amor,nec cura,vel artes. ſũ

Quod ſupereſt: cùm miſſus ad hoc deſcendis O-
Eruere infandos auſus,molimina ditis, (lympo
Et lapſam in melius naturam ferre viciſsim:
Fas homines ſibi ſe tales oſtendere vita
In quibus euentus habeant tua munera,& ingens
Officium,exhauſtiq́; ſuprema in morte labores.
Lucem auidis animis ſectemur, & impia noctis
Somnia, doctrinasq́; vagas,peruerſaq́; vitæ
Semina, ceu peſtes tetri auerſemur Auerni.

Ceu facis aëriæ ductu ex Oriente profecti
Inuenêre Deum Ieſſeæ in mœnibus vrbis:
Sic qui ferre cupis Chriſto veſtigia, & ora
Cernere, & ambroſias audire, & redd ere voces
I, lucem Verbi ſequere, & te ducat euntem

 Trauia

Prauia fax Fidei, quæ ſola ſidera adimus:
Cætera ſunt ignes fatui, ſtuppæq́ dolosæ,
In lapſum vrgentes, quas ore accendit anhelo
Collis Auentini Cacus incola, fulmina ſpirans
In ſuperos: Illinc facilis deſcenſus Auerni eſt.
At velut aligerûm gens almæ nuncia lucis
Custodes ouium pueri ad cunabula duxit:
Sic, qui læta ferunt de parta nuncia pace
Accinctos templis, & ſacro munere functos,
Hos ceu ductores tua Christe ad regna ſequamur,
Officijsq́ pijs meritum teſtemur amorem.
Factus homo eſt, vt mente Dei ſimulacra referret,
Cui tàm magnus amor noſtri eſt, quàm magnus & ipſe eſt.
Ille ſui affectus partem quoq́ fudit in illum,
Mutuus vt mentes liget, atq́ reciprocus ardor.
Ergo Deum referant noſtra agmina pacis amore,
Conſenſuq́ pio; nec cæco impulſa furore
In ſua fata ruant, & vitæ fœdera turbent:
Pœna comes ſceleri, & ſua cuiq́ iniuria damno eſt.
Et curam hanc morum, præſens fortuna requirit,
Dum regna inter ſe Martem experiuntur, & hoſtis
Turcicus immunis bello, atq́ impunè quietus
Europæ fluxas res carpit, & artis alumnas
Eruit egregias vrbes, operumq́ labores.
Nos noſtræ in fidei ſocios, tua viſcera Chriſte,
Mittimus auxilia, atq́ rogis accendimus ignes.
Quanta lues iterum ingenijs, quanta artibus almis
Imminet, atq́ vmbras reuehit Stryge peſtiferas nox.

Ecqua olim ſeris doctrina nepotibus? ecqua
Norma tenax veri? quò, quò diſcordia falſos
Perduxit fratres? Nos in maledicta, cruentasq;
Efferimur pugnas: hoſtes, de vulnere noſtro
Paſcuntur fera corda, ſui ſine parte pericli.
O fatum, ô mores; Viden' vt confuſa fatiſcit
Mille modis pietas: & quorum cura mederi eſt,
Hi lacerant magis, & velut vnguis in vlcere regnãt.
Nôn lacrymis vacat vlla domus, ærumnaq; mordax
Te tua, me carpit mea viuo vulnere, & vnum
Quenq; docet fortuna ſua cognoſcere in aula
Quàm breuis hæc vitæ ſit ſors, quàm longa futuræ.

STEPHANVS, PROTO-martyr.

ERgo etiam hoc fatisq; tuis, cæcoq; furori
Deērat adhuc, vt poſt Regis crudelia fata
Teq;, tuasq; domos temerares funere ſerui?
Nec ſat erat votum infelix traxiſſe per omnes
Relliquias Solymæ, fuſo cùm ſanguine Chriſti
Terram inceſtabas, atq; in te triſtia quondam
Fata redundare optabas, ſcelerisq; luelam:
Quin etiam iuuenem inſignem, quem ſorte legebant
Accinctum menſis templi, de more ſacrorum,
Horriſono lapidum nymbo, & crepitante procella
Obrueres, odijs impulſa, & numine læuo.
Vulneribus quantis, & quanta cæde rependes

Vulneraq́, et cædes : cùm magno optaueris emtum
Intactos artus Stephani, & ſaxa iſta, locumq́,
Oderis, immeritoq́ rubentem ſanguine terram.
Hic, vt erat fidei plenus, factisq́ ferebat
Sublimem ſeſe, Tu contra inſurgis, & antè
Confeſſum teſtes conflas, qui magna locutum
In ſuperûm leges, atq́ inuiolabile templum
Arguerent. Sed cùm vulgi rabida ora quiêrunt,
Ollis ſedato reſpondit pectore Flamen,
Non habitare Deum pulcro ſub fornice templi
Quod noſtræ fecêre manus : atq́ inſuper addit,
Fatidicum Moſen, veterumq́ oracula Vatum
Innuere hunc Vatem, cui ſit cognomen IESVS.
Increpat hinc patres, quòd talem, & numine tantum
Infando indicio delatum, funere acerbo
Affecêre, Dei patris præcepta canentem,
Hortantemq́ vltrò, & mundum ad meliora vocantem,
Aduerſi diuûm imperio, ſemperq́ parati
Contra inſtare animis, & Vates tradere letho.
Exarſêre ignes animis ; ſubit ira, ſeueram
Cenſuram vlciſci ; contra ſtans acer, vt auras
Suſpiciens hauſit, magno diſceſſit hiatu
Cæli rima micans, atq́ interiore receſſis
Conſpectum te Chriſte dedit, cùm ponè parentem
Iam te conſeſſu tuleras. Super omine tanto
Accenſus iuuenis Chriſtum magno ore canebat
Lætitia ingeminans magna, & conuincere apertis
Augurijs tendit, Chriſtum, quem protinus ipſi
Demiſêre

Demiſêre neci, ſupera iam veſcier aura
Maieſtate Dei conſortia ſceptra tenentem.
Ergo omnis furijs ſurrexit concio, & vrbe
Eijciunt, ſubitoq́; coit furor omnis in vnum,
Remq́; gerunt ſaxis: nec ſecius aëre moto
Culminibus ſuper increpitans ſalit horrida grando.
Miſſa volant, errantq́; aures, & tempora circùm
Saxea tela, ſeges lapidum, glans aſpera terræ,
Rumpitur & iactu frons candida, craſſus & ore
Reijcitur cruor, & mixti cum ſanguine dentes.
Ille fidem accendens precibus, ſpe ſuſcitat vltrò
Lætam animam letho, totoq́; loquentis ab ore
Fulgor ijt, radijs reſplendens lucis, & auræ,
Et frontem in ſublimè ferens, pro talibus auſis
Hoſtibus expoſcit veniam, &, tu ſuſcipe Ieſu
Hanc animam, aiebat, meq́; iſto corpore ſolue,
Hanc animam, hanc, eia; vitamq́; in voce reliquit.
Olli durus enim crebro ſimul impete nimbus
A tergo venit, & ceruicem allidit, & vnà
Vocem animamq́; rapit: genua ægra repente vacil-
Sternitur hîc, ſparſasq́; manus, oculosq́; natantes (lãt.
Diſijcit, & patulo vibrans ex gutture lingua
Stridit adhuc Chriſtũ, Chriſtum iam frigida lingua,
Ab anima iam tum Chriſtum fugiente vocabat.
At verò ſaxis ſopitum in turbine tanto
Vt vidêre pij: ne mortis honore careret,
Aggere compoſito condunt miſerabile corpus
Multa ſuper iuuenem exanimem de more querentes.
Nam

Nam quis te iuuenum confidentiſſime tanto
Robore firmauit mentem, & præcordia circùm
Virtutem accendit, quò toti opponere temet
Concilio auderes vnum, & te ſiſtere contra?
Tené etiam lethum oppetere, & pro nomine Chriſti,
Nullius exemplo inductus, profundere vitam
Inter ſaxa uiuis ritu volitantia, & ictus?
Ten, palmam primùm meruiſſe, piamq́; coronam
Intendiſſe comis, de qua tibi nomen inhæſit?
Tandem etiam obnixus ſtans omnia fulmina contrà
Morte fidem verbis facis, & cum ſanguine firmas,
Nuſquam ore amittens, aut fido pectore Chriſtum,
Quem uox extrema, et quem ſpiritus vltimus effert,
Quem ceſſante anima, dum vox quoq́; ceſſat, imago
Poſthuma vocis adhuc iterat, redditq́; reſultans.
Macte animo, et pietate tua, tuaq́; oſſa, lacertosq́;,
Et laceros artus, ſpoliataq́; tempora vulſis
Luminibus, fractumq́; illiſa glande cerebrum,
Afficiet vita rurſùm, & conducet in vnum
Vulnera, luce ſuper fuſa, impoſitaq́; corona,
Cui non marceſcens honor, & coma prodiga veris:
Cùm mala perpeſſos ſecum, ſecum alta reponet
In cœli ſceptra, & claro illuſtrabit honore.

At qui forté fidem abiurans precioué, metuué
Cæreus ad proceres, immanibus annuit auſis:
Hunc ante ora Patris, cœliq́; aſtante corona
Abnuet, & donis exutum, & honoribus orbum
Naufragium famæ facere, & ſine luce relinqui
Cœlicolûm

Cælicolûm rex ipſe dabit: tum conſcia mordens
Cura breuem vitam efficiet, longumq́; dolorem,
Aut captum mente ex morbo, vel ſponté loquentem
Crimina per ſomnum ſua, protrahet, & ſibi lethum
Ferre manu ſubiget, vitamq́; effundere ad vmbras,
Vitam indignantẽ magno cũ murmure ad vmbras.

INFANTICIDIVM Herodis.

QVis nouus, & nullis aſſuetus gentibus vnquàm
Iſte furor potuit dextræ mandare nefandæ
Tam dirum, & crudele nefas? Ergo occidet armis
Maſcula ſtirps, habilis nondũ, et nondũ vtilis armis?
Ecce ſinus matrum inquirunt, nec mollia tutos
Vbera dant natos, ferro latera intima tentant,
Atq; neci dedunt duo corpora vulnere in vno,
Et lucem his adimunt, qui non ſunt luce potiti.
His, capita ad ſaxum frangunt, his, enſe recludunt
Dulcem animæ latebram pectus; ſtupuêre penates
Inſolitum Mauortis opus: ſparguntur & arma,
Spargitur & tellus albenti infecta cerebro.
Nec lacrymæ effuſæq́; genis, nec pectore vota
Fuſa, viros mollire queunt, & triſtibus auſis
Auſuras reuocare manus, non ara tueri,
Obuia ſupplicibus quanquam, inuiolabilis ara
Vlla poteſt; ſæuit ſæui inclementia regis
In genus ipſa ſuum naturæ oblita, parentes

Quæ natis vnxit prædulci fœdere amoris.
Nam quid te ad tantū facinus rex impie adegit?
Quid? niſi amor regni, conceptaq́ pectore imago
Plena metu falſo, ne te exuat ille caduco
Imperio, quem fata Dei exciuêre vetuſta
Ab radice nouum florem de ſtirpe Dauidis
Gentibus humanis cæleſtia condere regna
More nouo, nec more hominum. Nihil ille tuarum
Optat opum, compeſce metum. nihil iſta, nec auſa eſt,
Nec potuit manus infantûm, & ſine robore vulgus.
Ergo nec ardentem pietas matrum vlla, nec vlli
Vagitus poſſunt incepto flectere regem,
Sed furit in cunas, qualis cùm nocte refringit
Impaſtus ſtabula alta lupus, ſternitq́ cruento
Dente pecus; non ſepta valent oppoſita, nec ipſi
Cuſtodes prohibere vagum: balatibus icta
Exultant ſtabula, & miſeranda cæde rubeſcunt.
O teneri flores, & fortunata corona
Vos pueri ſaluete, quibus vix aëris alti
Vſuram captare datum eſt, & fundere rurſus
Ante diem, & veſtro pro rege opponere vitam.
Vos iter ad cælum primi, vos ſanguine adiſtis
Triſte iter, at pulcrum, & vita iucundius ipſa,
Quando triumphales regis præcedere currus
Morte datum eſt vobis: vos primùm regia cæli
Excepit, quos ſigna manu præclara ferentes
Laurus, & elatæ decorarunt præmia palmæ. (hæ
Sed non veſtra ſalus erat hæc, quòd ſemen Abra
Eſtis

eſtis, & haud vllam traxiſtis origine labem
Inſontes: Quod enim de carne, parentis in aluo
Concipitur, uiſitq́; exortum lumina Solis,
Natales habet immundos, ſecumq́; Tonantis
Offenſam trahit, & læti ſubit horrida iura.
Sed pater omnipotens vos propter ſemen Abrahæ,
Immeritamq́; necem nati, ſanctumq́; cruorem
Accipit, atq́; vltrò cæleſtibus aſſerit oris.
Non opus eſt noſtræ veniam, cælumq́; mereri
Proiectu vitæ; facit hoc tua Chriſte merendo
Integritas, & mors, qua ſunt ea munera parta:
Mors tua ſit precium, mea mors ſit conſcia teſtis.
Et nos morte tua demerſi, & ſanguine tincti,
Mox tonitru fractos ſonitus imitante tubarum
Excuſſi ſomno, tellure leuabimus artus
Veſtitos Sole, atq́; vltro in ſublime volantes
Hoſpitium cæli, conceſſa ad gaudia vitæ,
Conciliumq́; Dei, ſancto qui ſemine diuûm
Et liquore ſacro, & Flatu generante renati
Pectoris aſſenſus in te dux Chriſte tenemus.

CONDEMNATIO CHRISTI in Concilio: & pœnitentia Iudæ.

AT longè vobis alia, & diuerſa canebat
Concilia, & cœtus alios lyra regia Vatis:
Nam fore, vt exciti diuerſis partibus Orbis
Ingentes

Ingentes populi ſtudijs concordibus acti
In cœtum fluerent, & coniurata coirent
Imperia, vt Chriſto adiungant ſua pectora, & ipſi
Dent operam; non ut ſub proditione nefanda
Inijciant tibi Chriſte manus, quo more latrones
Lucifugæq; ſolent blattæ, & nocturna virûm vis
Diffidens cauſſæ, nec apertis vtilis armis.
Non fas inſontem nexis poſt terga lacertis
Noctu in concilium detrudere, labe notare
Inſignem meritis, doctrinæ quærere cauſſas
Vnde reum peragant, poterat quem iure vocare
In crimen nemo, aut vani inſimulare reperti.
Nondum odijs etiam gens exaturata quieuit
Impia, ſed tota, quàm longa eſt, nocte ſuperbis
Auſa etiam capto dictis illudere, & auſa
Os, roſeasq; genas manibus violare nefandis.

Sed tales caſus, & fata indigna canebat
Numinis afflatu, vates, quem eduxerat Amos,
Vt vultus hoſti obiectos, pulſandaq; duris
Ora daret manibus, nec ſe ſubduceret vnquam
Verberibus, ceu fortè ſilex medio æquore ponti
Vim cunctam excipiens perfert cœliq;, mariſq;.
Ergo concilium magnum, primosq; ſacrorum
Imperio accitos Caiphæ intrà limina cogunt
Manè nouo, primoq; ſtatim cum lumine Solis.
Multa ſimul varijs fertur ſententia dictis,

Qua peragant ratione reum te Chriſte, quibusq́;
Artibus informi damnatum funere multent.
Illum igitur verbis agitatum, & verbere duro
Imá in parte domus, dum Sol roſea ora referret,
Nunc in concilio ſiſtunt, ſubiguntq́; fateri
Qui genus, atq; domo, num fatis debitus ipſe
Mundi opifer, quem deinde ferat ſe numine, et auſis.
Tum qui ſe nocte in media quærentibus vltrò
Obtulit, & nomen confeſſus voce probauit
Se dium genus, & veterum ſpem deniq; patrum:
Confeſſum increpitat ſimul, atq; vrgente ſenatu
Se dictis aperit rurſum, atq; ita farier infit.
Non hæc concilia, & cœtus non cogitis iſtos
Sancta rudimenta, & veros ediſcere cultus;
Nec, quanquam ingrediar dictis, quæramq́; viciſsim,
Cepto abſiſtetis, neq; vos ſententia vertet
Vt culpæ expertem vinclis ſoluatis iniquis.
Verùm agite & qui nunc carnis ſub imagine ter (ras
Luſtro Dei natus, ſpes & ſolatia patrum,
Et patris interpres, miſſusq́; ſalutifer Orbi,
Nunc ſine vi paulùm occultans & numen, & arma,
Vt veſtrum ſcelus intereà cum ſanguine ſoluam
Labe carens: Ego ſum cœli qui ſede receptus
Confeſſu ad dextrum patris latus efferar altè,
Et caput, & dux ſummus ero, nomenq́; tenebo
Supra hominum nomen, regnum ſuprà omnia regna,
Et vitæ quæſitor ero, quando vltima tandem

Deciſam fatis dirimet ſententa cauſſam.
Tunc altè vibrantem oculos, atq; ore ſeuero
Dantem iura Deum cernetis, & horrida Ditis
Antra alijs, alijs cœli decernere templa.
Hæc ſim ul aure bibunt; falſis rationibus inſtant
Colligere, iniuſtè detorto codice Moſis,
Multandum letho, qui ſe grauitate Tonanti
Acquiparat, natumq; Dei ſermone fatetur.
Ergo de Chriſti vita, & de ſanguine fertur
Triſtis, acerbà ſonans ſententia: Nec mora cuncti
Aſſenſu vario ingeminant, hunc poſcere letho
Vatis Idumæi fatis immota ſtatuta.
Tam triſtem ſubijt cenſuram, & iura ſeuera
Is qui proſcriptos & pœna & crimine ſoluit,
Cùm lex diua reos peragens nos deſtinat Orco.
Quiq; patres olim Nili ditione ſolutos
Per mare purpureum promiſſa reduxit ad arua,
Tunc vbi cernebant fatalem lampada opacæ
Noctis iter regere, & nubem ſub luce præire:
Hunc geniti ex illis exceptum in vincula ducunt
Innexum palmas: Ceu viſa in gramine cerua
Cùm manus agreſtûm properè coit omnis in vnum,
Et telis premit, & ſaltus indagine cingit.
Quis tibi tunc Iuda cernenti talia ſenſus,
Qui, ſceleri tutum prætexens nomen amici
Vt carum inſidijs aperires deinde magiſtrum,
Religionis eras hoſtis, ſed fictus amicus,

Cui ſtipis æra ſacra,& prouentus credere ſacros.
Sed mentem inuidia,atq; amor immoderatus haben-
Confuſam eripuit, tenebraſq; induxit opacas (di
Senſibus,& ruere in præceps tua certa dedit mens.
Ne fatum incuſes,traxit te culpa volentem,
Ipſe tibi fatum Iuda ſcelerate fuiſti.
O ſi tunc ſaltem poſuiſſes aſpera corda,
Et veniam oraſſes, nec cornea fibra fuiſſet,
Dum precibus locus, & placidas nondum obſtruit
Fors ignouiſſet ſceleri, mentemq; benignam (aures,
In te accepiſſet tractabilis: aſpice quàm te
Blanda ſalus hoſtem ipſa ſuum dignatur amici
Nomine, diuinumq; offert placido ore fauorem
Cùm viridem irrumpis cinctus legionibus hortum,
Ora Dei ficto ore premens: an & oſcula falſi
Crimen habent,latitantq; doli ſub ſimplice geſtu?
Ecce tibi ingreditur dictis: Quid amice ſubegit
Hanc tentare viam? quòd ſi ſententia retrò
Verſa tibi,& facti pertæſum, atq; hæc tibi mens eſt
Ad memet reuocare gradus; tu tædia ſaltem
Concipe; nanq; dabo veniam, & te crimine ſoluam.
Nam quanquam ſtabili Patris iam numine vitam
Informis lethi genere exhalare neceſſe eſt:
Ponite corde metus, Ego partam morte ſalutem
In veſtris pono gremijs: haurite fideli
Tantum animo,oblatumq; vltrò ne effundite donum;
Vltimus, an primus,nullo diſcrimine habebo,

Omnes ex æquo fauor excipit vnus, & idem.
O ſaltem in lacrymas iſſes, & dicta dediſſes
Infelix Iuda: Sinite hunc non digna ferentem
O proceres, mea fraus omnis, nihil iſte, nec vnquam
Auſus erat, cælum hoc, & conſcia numina teſtor.
Me me aſſum qui te letho nil tale merentem
Inſontem, & falſo damnatum crimine mortis
Oppoſui infelix, nunc me facta impia tangunt,
Reſpice ad hoc, maior pietas tua crimine noſtro eſt.
Hæc effatus, & in verbo furor omnis, & ira
Victa reſediſſet, ſubitòq; in antiqua rediſſes
Fœdera amicitiæ; nec noſtra piacula amori (tur;
Cæleſtûm obſtiterint, quàm multa, & magna feran-
Vincit enim precium ſceleris ſcelus, atq; amor iram.
Verùm vbi nulla locum reperit clementia Chri-
Nec potis eſt dictis Iudam emollire furentem: (ſti,
Nec mora, cæleſtis Iudæ ſuper incubat ira,
Inducta ceu veſte tegens, operitq; premendo.
Nam dum fortè videt Romani ad præſulis arcem
Detrudi Chriſtum, & tenui diſcrimine lethi
Eſſe pium: Tandem incepit ſentire peracto
Crimine, perfidiæ labem, excuſſoq; veterno
Mens agit attonitum, et tremulis micat excita fibris.
Culpa ſubit, piget admiſſi, lucisq; ſuiq;,
Aeraq;, nequitiæ precium, primoribus ædis
Reddit, & infectum facinus iam mallet, & ipſum
Se cauſſam clamat, crimenq;, caputq; malorum,

Multaq;

Multaq́ȝ ſe incuſat, qui proditione nefanda
Inſontem letho obtulerit, nec tale merentem.
Hæc vbi dicta, ſtatim ex oculis ſe turbidus aufert,
Et graue onus, quæſita malis ex artibus æra,
Porricit à ſeſe, & veniæ ſpe decidit omni.
Ergo vbi concepit furias, lethoq́ȝ dolorem
Stat finire ſemel; ſceleri ſcelus addit, & vltor
Informis lethi nodum trabe nectit ab alta,
Vitaq́ȝ viſceribus fuſis effugit ad vmbras.
Hæc finis Iudæ fatorum: hic terminus illum
Excepit, ſcelus admiſſum, & ſua facta dolentem
Sed nullam de te interea ſpem Chriſte fouentem.
Ergo expes ſcelerata animam rupta expuit aluo
Quam Furiæ excepére truces; hæc igne perenni
Dat pœnam, atq́ȝ animo patitur tortore flagellum.
At verò ſacris præfecti, infame lucellum,
Et precium crudele negant adiungere ſacris
Templi opibus, dioſq́ȝ horrent temerare profano
Aere locos, iuſtum quod prodidit antè cruorem.
Sed Vatum ignari quanquam, factis tamen implent
Quod tacito indicio Vates cecinére futurum,
Et ſpacium campi, vt peregrinis manibus eſſet
Hoſpitium, certaq́ȝ vbi demum ſede quieſcant,
Ex precio ſceleris, ſuſpectoq́ȝ ære pararunt.
Nos quoq́ȝ in externis geniti regionibus ortum
Traximus, & peregrè acciti penetralia Semi
Contigimus greſſu, & ſemotam acceſſimus oram.

Ergo locum cineri extincto, & commune ſepulcrum
Sanguinis impenſa Chriſtus conduxit habendum,
Quale ſolum eſt mercatus Abras ad funera Saræ.
Et nullam, aut partem exiguam ditione tenemus
Ingentis terræ, & peregrini more vagamur
Finibus extorres patrijs, nec fixa tenemus
Hoſpitia, aut ſedes proprias, certosq́; penates.
Donec fata iubent antiquam exquirere matrem,
Parua vbi defeſsis ſedem dabit vrna quietam.

DE CRVCE, ET SACRIFICIO Filÿ Dei, Ieſu Chriſti.

QVa manus iſta virûm, quid vult exorta repentè
Seditio hæc, vnde armorũ nouus ingruit hor-
Ne verò, ne tanta animis præſumite bella (ror?
Iudæi: veniet tempus properantibus annis
Romanæ cùm fortè aquilæ per inane ſagaces
Certatim huc tendent pennis ad putre cadauer,
Prædam inſectantes roſtro, rapientq́; per auras:
Et Titus heu quantas acies, ſtragemq́; ciebit,
Et Solymus armato obſidet milite portas:
Tunc certare armis, & pellere ab vrbe licebit,
Nunc ſinite, & pacis ſtudijs traducite tempus.
Totné vnum telis petitis caput? heu furor ingens,
Quem premitis denſo fremitu, & crudelibus armis,
Rex ille eſt veſter, video, agnoſcoq́; decoros

Suprà hominem vultus, mellitaq; labra docentis.
Vt mundum ad leges iterum, & noua iura vocaret;
Dat ſeſe in medium, diruptaq; fœdera quondam
Sanciuit iam lege noua, factisq; probauit
Se diuûm genus eſſe: ſed ô quis verbera dorſo
Inflixit, capitiq; rubos? quis dulcia labra,
Quęs Patris inſpirat dilecta per oſcula Flammam,
Fœdauit pugnis, nec crimen dextra refugit
Attonita, in cineremq; rubi fluxêre, ſolutaq;
In partes crepuêre vndantia verbere lora?
Ferte citi hinc, auferte manus, nihil iſte, nec auſus,
Nec voluit, Deus ille, Deus, ne tendite vincla.
Nec dum etiam conuerſi animi, compreſſus et ingens
Impetus? indulgent ſceleri, cæciq; furore
Ecce trahunt Chriſtum manibus poſt terga reuinctũ
Heu ſcelere exceptum magno, inſidijsq; ſuorum
Ad loca ſupplicij, telisq; frequentibus inſtant
Innocuo, qui ſe regem credentibus vltrò
Obtulerat, preſſos animis releuare paratus.
Eſt vrbe egreßis ſedes, addicta malorum
Supplicijs, campiq; ingentes oßibus albent,
Qualia in effoßis conſpexerat oſſa ſepulcris
Ezechiel animari iterum cum ſanguine viuo.
Planicies inculta quidem, nihilominus olim
Relligione patrum multos ſeruata per annos:
Nanq; ſita in montis Moriæ radicibus hæſit,
Qua regione ſoli dum ſacra parabat Abramus,

 Suppoſitum

Suppoſitum ferijt nati pro cæde bidentem.
Iam tum fata Patres eadem longè ante ſagaci
Concepêre animo, & caſus ſenſêre futuros
Valle ſub hac olim decorati mortis honore,
Verus vbi Ezechiel patefactis oſſa ſepulcris
Secum deſuetas iterum conciret ad auras.
Sed Sathanas, quæ ſacra Patrũ loca manibus eſſet,
Turpibus exuuijs, deformi & ſtrage ferarum
Fecerat infeſta, atq; oculis inuiſa tuentũm,
Ceu contrà loca fœda fimo, quâ viſcera ab aluo
Arrius effudit triſti mœrore ſoluta,
Proluuie immunda gaudens turpiſſimus Orci
Spiritus, extructo templi decorauit honore.
Has vbi contigerant ſedes; ecce acria præbent
Pocula noctem illam laſſato verbere multo,
Pocula quæ gelida prius infecêre cicuta,
Qualia miſcebant lethi iam ſorte cadendis.
Bacchica nempè quibus commiſit germina terris,
Pro dulci latice, & pro ſucco nobilis vuæ
Infelix triſtes profert labruſca racemos,
At ſapor indicium fecit manifeſtus, & ora
Triſtia guſtantis ſenſu perfudit amaror.
Abſtinuit potu genitor, guſtuq; refugit,
Ne temerè abrumpat ſibi debita tempora vitæ.
Continuò ad cœlum magna vi robora tollunt
Tranſuerſa, & media elapſa iam parte diei,
Quo fatalem agnum mactabant ritè parentes,
Sublimè

Sublimè exponunt inter media agmina ſontûm
Inſontem, & falſo damnatum crimine mortis,
Et ferrum in palmas adigunt, veſtigiaq́ ima,
Ceu quondam Dauid fatorum arcana reliquit.
Et qui ſe medium dedit inter nosq́, patremq́,
Ille inter ſontes medius, ſed liber ab omni
Crimine, cœlum inter medius, terrasq́ pependit.
Sic ergo in tignis (æreï ſerpentis ad inſtar,
In quem verſa olim patres quando ora tenebant
Certa ſalus rediјt ſerpentum morſibus ictis)
Diſtentus membra, & fœdi de more piacli
Abiectus, ſancta impoſitus fit Flamen in ara,
Perfectis & ritè ſacris ſemel hoſtia factus
Obtulerat verum corpus, planeq́ peregit,
Abſoluitq́ ſemel ſacra non repetenda deinceps,
Nam neq́ adhuc terris corpus velut antè moratur,
Quo ſacrum peragi poßit, rurſumq́ litari.
Quin etiam ardentesq́ preces, quæis rumpere nu-
Et penetrare polos ſolitus, ſacrataq́ vota (bes,
Aeternum ad Patrem noſtro pro nomine facta
Stans ara in media fudit, patriq́ ſacrauit.
His ſe, quando homini nihil hic dare maius habebat,
His ſua dona ſuo pariter cum ſanguine parta,
Applicuit nobis, quibus hæc libamina proſint.
Proſequere has venia pater, & placabilis eſto,
Da te oro facilem pater his, qui mentis inanes
Haud facinus nouêre ſuum, & me labe carentem

His probris merſère, mori nunc deniq; cogunt,
Nec cernunt quàm ſim multo ſublimis honore,
Et cœli quàm diues opum, quàm gratiæ abundans.
Nec tantum his pacem expoſco: ſed ſontibus, oro
Da veniæ eſſe locum, quotquot poſt triſtia duri
Fata Cain, ad finem Orbis dehinc vſq; ſupremum
Præcipites ſeſe ſceleri implicuêre nefando,
Meq; his oppoſuêre malis cum labe patrata:
Sic ait: ac ipſa re Vatum dicta probauit.

Vos autem hûc miſeri mortales flectite vultus;
Cardine in hoc ſolo ſe noſtra profeſsio vertit.
Nam voce aſſerimus, quòd Natus, imago parentis
Suſtinuit lethum pro mundi immanibus auſis,
Pontius vt Solymæ data frena ad tempus habebat;
Hæc olim vt proaui præſaga voce locuti
Ante aras ſacris iugulantes ritibus agnos,
Atq; omnis Vatum chorus, & biſſena virûm vis,
Cultorum & Chriſti genus omne, hæc ardua facta
Euulgat fama, dictisq; in ſecula habebit
Materiem; donec ſupremùm aduenerit Orbi,
Qualis erat tunc cùm Chriſtus diſcederet Orbe.
Hinc Chriſtum ingeminant templorum ingentia te-
Icta ſono, Chriſtumq; iterant vocalia labra, (cta
Nec præter Chriſtum, quod Paulus ſciret, habebat;
Nec ſpem maiorem trahere, & ſolatia rebus
Concipere audemus miſeri, et rerum omniũ egentes,

Quàm

Quàm ſi pectoribus, Chriſti obuerſatur imago,
Sanguineum exudans laticem, diſtentaq́; ligno,
Vulſa comas, laniata genas, & quinq́; petitum,
Perfoſſumq́; locis corpus: viden' vt furor ardens
In ſcelus, hìc omnes irarum effudit habenas,
Nec proprio abſtinuit nato Deus, impia poſtquam
Auſa hominum excipiẽs humeris et geſtat, et aufert.
Qui nullam admiſit labem, labem eluit omnem
Sanguine: cùmq́; ipſi tantorum cauſa malorum
Eſſemus; tamen ille ſuis veniam hoſtibus orat.
O tantum potuiſſe pati, veniam inſuper hoſti
Oraſſe, & donis mala compenſaſſe beatis?
Heu nulli exemplum ſuperabile, quod tamen omnes
Vſq; ſequi mandat pietas, & mutuus ardor.
Magnum opus, et mirum eſt, hominũ mortalia mem-
Aſſumſiſſe Deũ; magnum, & mirabile rurſus (bra
Suſcipere amiſſas auras iam morte ſubacta.
At medium pendere ſub altis ætheris auris
Palmas, atq; pedes terebratum, vteriq; latebras,
Sanguinis vndantem riuos, velut Oſtrea rubris
Tincta notis, Cyprioue anguis formatus ab ære:
Illa ſalus demum eſt miſeris; ea imago meum cor
Stringit cum dulci ſenſu, incenditq́; medullas.
Nec mors horrenda in ſpecie ſi obiecerit olim
Monſtrum animo, audebitq́; minax concurrere telis:
Aut mecum imparibus Sathanas ſe miſcuit armis
Prætexens culpas, aut ſemet in omnia vertet,

Quanquam

Quanquam animum turbatus ero, (fataliter angor
Omne nefas ſequitur) tamen haud mihi tantus an-
Deijciat mentem pauor, vt vi victus, et expes (helá
Indignantem animam triſti cum murmure fundam,
Aut de vulneribus monitus, non pectore læto
Exiliam, eijciamq́ procul quodcunq́ moleſtum eſt.
Nec mihi tum veniat vitæ tam dira cupido,
Vt tali admonitu mortem admiſiſſe recuſem. (dum
Ergo agite, & propiùs nunc ſiſtite ad ora viden-
Transfixum clauis, et ſparſum ſanguine Chriſtum,
Tunc leue erit dictis elidere ſubdola ſcita
Iuſticiæ propriæ: tunc & ſolatia vitæ
Certa neci oppones, & erunt fundamina certa
Quæ ſuper innixæq́ preces, & vota quieſcant.
Omnes quotquot erant producti in luminis au-
Aeternùm flammis Erebi ſententia iuſti (ras
Proſcripſit vulgata Dei: quia crimine auito
Concepti, natiq́ Dei feruente ſub ira
Non iuſſa exequimur, quæ lex præſcripſit ad vnguē,
Quæq́ in mente Dei ſtant fixa, immotaq́ ſemper,
Et noſtra in ratione manent non paſſa lituram.
Nec quiſquam genere à noſtro tam triſtia vota
Auferre, atq́ aliò noſtram diuertere culpam
Auſus erat, quando reiecti protinus omnes
Iram, iudiciumq́ Dei, pœnasq́ futuras
Inciderant: Sed mox noſtri miſeratus ab alto
Progeniem, magnoq́ animum inflammatus amore

Demiſit

Demiſit genitor, quæ ſanguine ſacra pararet
Grata Deo, patriasq; iras extingueret vltrò,
Contractumq; nefas, & quod nos fecimus ipſi,
In ſeſe lueret; pœnamq; exolueret omnem.
Vtq; aliena reum Chriſtum tunc culpa peregit;
Sic aliena Deo gratos nos gratia reddit
Cernite, vt amplexurus amans pia brachia pandat?
His nos in partem meritorum ſponte ſuorum
Attrahit, & ne ſint nobis fera crimina fraudi,
Iuſticiam obtendit propriam, & tegit abdita Chri-
Cernite deinde patens crudeli vulnere pectus, (ſtus.
Vnde voluntatem, & blandum agnoſcamus amorē.
Quin nutu capitis vocat ad ſua munera gentes,
Atq; ſuo cœlum tranſcribit ſanguine habendum,
Si non reijciant auerſa mente ſalutem.

Ceu pueri abſynthii laticem auerſantur amarum
Affecti langore, ſed ipſas ſumere oportet
Altrices, quoniam medico de lacte reſultet
Deriuata ſalus infantûm in languida membra:
Sic felle infectos hauſtus, & ſic vice noſtra
Paſſus acerba Deus, mortem guſtauit amaram,
In nos vt translata ſalus vertatur, & in nos
Transfluat effectus meritorum impunè ſuorum
Et largè recreet, cupida qui mente, fideq;
Vberibus Verbi lactis deducimus hauſtus.

SEPVLTV-

SEPVLTVRA CHRISTI.

NVnc mecum ad Chriſti felicia buſta venite
Illuſtres animæ, quas non virtutis egentes
Spiritus extimulat per mille pericula mundi
In regno Chriſti bellando quærere nomen.
Sed non in Solymis, non quærite in vrbe Quirini;
Membra leuauit humo, ſedemq́ petiuit Olympi.
Chriſti relliquias in ſacro quærite verbo.
Et ferte exequias, atq; annua ſoluite iuſta,
Non lacrymis, neq; enim lacrymis eget ille profuſis,
In Verbi officio medium ſe cordibus offert,
Ecce pedes hîc ſunt, ecce hîc veſtigia Chriſti.
Pro ſe quiſq; viri ſua nunc commiſſa fatendo
Plangite, nec cauſſam Iudæis quærite in armis,
Heu miſeri nos cauſſa ſumus, nos robore ligni
Fiximus, & letho inſontem demiſimus ipſi
Lapſibus, ô Chriſto caput horum, et cauſſa malorum.
Ipſum obteſtemur, veniamq́ oremus ab ipſo
Conuerſi in melius: ſacrum ſic viſite buſtum
Mortales; huc ferte gradus, & quærite ſacro
Relliquias tumulo, Verbum, ſolatia vitæ,
Credentesq́ haurite, ſinumq́ implete beatis
Muneribus, letho peperit quæ maxima Chriſtus:
Qualis ab extincto Simſon cùm mella leone
Excipit, & dulci ſoluit ieiunia paſtu.
Ecce autem in ligno ligni diſpendia ſoluens

Natu-

Naturæ dominus tormento affectus, vt omnem
Impleret clamore locum, vitamq́; Parenti
Traderet, & deſertus Heli, Heli ore ſonaret,
Exequiasq́; ſuo ſoluens Natura Parenti
Fleret, (vos Solymæ teſtes, conuulſaq́; venis
Saxa ſuis, cùm terra ſuum diſrumperet almum,
Et complexa ſui corpus miſerabile nati
Mater viſa queri eſt, & guttis ora rigare:)
Et rupe ex illa, quam gens Moſaica ſoluit
Incuſſu, alternis manaret flexibus humor
Sanguinis, & prædulcis aquæ; connexaq́; neruis
Oſſa agni in nullas raperentur diruta partes:
Tum Solymos inter ciues, vir cultor honeſti
Nomine Ioſephus, conſors Arimathidos vrbis,
Diues opum, qui non partes implebat iniquas
Aſſenſu, ſed ſpe pendebat ab auſpice Chriſto,
Solum Pilati foribus ſeſe intulit altis
Pronus ad Heſperias cùm Sol iuga flecteret vndas,
Iam fidens animi, nec non in vtrumq́; paratus,
Et Chriſtum profiteri, & certæ occumbere morti.
Sed nunc ominibus mentem firmatus apertis
Non tanta pro ſpe votis tentare refugit,
Corpus vt exanimi releuatum è ſtirpe magiſtri
Redderet, ac tumulo ſineret ſuccedere terræ.
Quem præſul, cui magna fuit reuerentia, magnus
Gentili de more labor ſuper æthere caßis,
Proſequitur venia, properataq́; fata ſtupeſcit,

In

Inſuper hæc addit dictis: Equidem ipſe fatebor
Non meruiſſe mori, ſed falſa labe notatum:
Me ſi turba meis ſineret componere cauſam
Auſpicijs, viuo veniam concedere vellem.
Teſtor numen, ait, vulgi clamoribus actum
Demiſiſſe neci, & conantem plurima dictis
Pro Chriſto et magnum immeriti prætexere nomen,
Ceſſiſſe; & quæ ſit rebus iam forma, videtis.
Tum Chriſto pallam, ſupremũ mæſtus honorem,
Induit, & pondus precioſi grande veneni,
Ex re nomen habens, inſons in ſanguine Chriſti
Dona ferens Nicodemus adeſt, quæ mitteret vmbris
Inferias, corpusq́; leuat pendentis, & vngit
Ritibus Aegypti regum, Syriæq́; ſuperbæ,
Aut quali patrem Ioſeph decorabat honore
Exanimum, ne membra ſolo putredine victa
Sentirent cariem. & fibris reſoluta perirent:
Vtq; reſeruatum pulcri ſub fornice ſaxi
Auguſtus cæſar Nili per diuitis oram
Corpus Alexandri poſt longas vidit ariſtas.
Sed non iſta tuum poſcit ſpectacula corpus
Nate Dei, quia labe caret, quæ noſtra reſoluit
Corpora; nempe tuis tu pro conſortibus vnctus
Lætitiæ ſplendes oleo cæleſtia membra.
Sed iam iam Vatum ſic verba implenda ferebant,
Et ſic debuerat precioſo munere luxus
Regum more coli maieſtas regia Chriſti.

Et iam candenti velatum corpus amictu
Extructis poſuêre thoris, molliq́; pheretro
Subiecêre humeros, & honeſtæ ex ordine pompæ
Ritè tulêre pedes, hortis vbi meta Ioſephi
Proxima, & in viuo monumentum pumice ſtabat.
Nanq́; ſacræ aduentu lucis, quæ ducere ſueuit
Principium, iam Sole diem condente ſub vmbras;
Nulli fas vltrà progreſſu tendere campis.
Ergo vbi ſuccedunt horto; miſerabile corpus
Molliter attrectans palmis Arimathius heros
Alleuat, & gelidi componit fornicis antro,
Oſtiaq́; inuoluit non mobilis obice ſaxi,
Religione ſuis Ioſeph quæ ſtruxerat vmbris
Et lethi memor, & vitæ poſt fata futuræ.
Nanq́; patrum conſors tumulis in monte Moria
Et requiem capere, & verum cupiebat Eliam
Expectare, ſuo qui corpore functa ſepulcris
Oſſa, iterum claras animata referret ad auras.
Ecce ſed exequijs Chriſto iam ritè ſolutis
Tecta cateruatim Pilati præſidis hoſtes
Circunſtant fremitu denſo, & iam lumine caſſo
Vni odijsq́; viro, dictisq́; ferocibus inſtant,
Et rabiem inter ſe certant explere ſepulto,
Et tumulum claudi ſignis, & milite poſcunt.
His quoq́; Pilatus, magna iam vrgente caterua,
Dat veniam votis, lectosq́; ex agmine mandat
Excubias tumuli antè oram ſeruare frequentes.

Conſcia mens nullam patrato crimine pacem
Accipit, & propriæ terretur imaginis vmbræ.
Talibus exequijs defertur corpus in vrnam,
Regifico luxu, ſolenniſq; ordine pompæ:
Inq; nouo tumulo nouus hic componitur Adam
Labe carens propria, nec peſti obnoxius vlli.
Quare agite ô homines illinc ſpes diſcite veſtras,
Hac ne Dei natum componi cernitis vrna?
Ferte gradum, atq; oculis luſtrate fidelibus vrnam,
Fortunatam vrnam, ſančto quam corpore preßit
Verus homo, veruſq; Deus: nam ſemper in ipſo
Aſſumtæ poſt carnis opus ſtirps dia manebat
Incola perſonæ ſcindi quæ nomine neſcit.
Manſit & extinčta cum carne; ſed abdidit ipſa
Maieſtatem intus latitantem in mente, breuiq;
Tempore non vires ſæuo ſuper hoſtè mouebat.
Ergo ſolo merſus noſtræ omnia pondera culpæ
Abſtulit, ex oculis Patris, & defoſſa ſepulcro
Obruit, inq; ſua ſibi nixos morte recondit.
Nec ſcelera in claras vltrà iam proferet auras
Cenſuræ memor: in tumulis defoſſa iacebunt
Lucem exoſa, plagis Erebi ſpečtanda ſub imis.
Tum dolor afficiet ſontes, quòd vindice Chriſto
Gens rea, ſed verſa in melius, iam dona ſalutis
Accipit, & numeros auget ſupera arua colentûm,
Solius ob Chriſti nomen, ſančtumq; cruorem,
Impia qui paſſus fuerat faſtidia mundi.

Ergo animo erecto, nam victa eſt, poſcite mortem,
Deſinite vlterius lacrymis vrgere ſepulcra.
Nam veluti ſacro Iordanis merſus in amne
Omnia felici luſtrauit flumina tactu:
Sic etiam mœſtos tumuli ſacrauit hiatus
In terris ſacro recubans cum corpore Chriſtus:
Et fœdos angues, & fœda inſecta ſepulcri
Exegit, cœliq́; illic ſe ferre miniſtros
Imperat, & dulci mutat buſta atra cubili:
Et quam perdidimus primi per crimen Adami,
Iam feſsis peperit mollem poſt fata quietem,
Forma manet mortis tantum, ſunt cætera ſomnus.

IN DIE RESVRRECTIO-nis Domini.

NAte Patris ſummi, qui cũ Patre tẽporis exſors
Numine, natura, virtute, cacumine, conſors,
Naturam hanc rerum, nullo de ſemine rerum
Diſsimili vultu certa ratione creaſti,
Alme opifex, idemq́; opifer, cùm ſanguine fuſo
Cælo iterum aſſereres ab Auerni iure receptos,
Vitam, iuſtitiamq́; ferens in priſtina iura,
Quorum nixa fides in te exit, & incipit à te:
De cuius reditu, palma, regnoq́;, quod ingens
Occupet, & nullo ſectetur gloria fine,
Turba Deum ſpirans Vates, hæc fata canebant;

Fortè dies Orbi adueniet, quo viuida radix
Stirpis Iëſſeæ manifeſto in germine ſtabit
Inſtar vexilli, quò confluet agmine facto
Turba Dei cultrix; radicemq́; inde ſequetur
Gloria, cùm requie detenta latebit in vrna.
Tu ſancta illa venis Ieſſæa ex ſtirpe propago,
Et verus cum Patre Deo Deus, accipis vltrò
Veri hominis veram Ieſſæa ex virgine maſſam.
Ex quo te abijceres verò, & quo tempore terris
Te gereres humilem, & paulùm diuina poteſtas
Subtraheret foris auxilium, & tamen intus adeſſet
Perpetuum ad nexum ſuſceptæ ex virgine maſſæ:
Tunc certè inſtar eras virgulti humore carentis,
Quod ſitiens tellus produxit in aëris oram.
Pulcra quidem, ac opibus diuinis plantula turgens:
Sed preſſa ærumnis, ſed iniquo exercita caſu
Sancta anima, ac iræ patriæ concuſſa procellis,
Iræ, quam Pater omnipotens in crimina noſtra
Hauſerat, atq́; in te penſantem crimina noſtra
Verterat, irarumq́; omnes effuderat vndas,
Sancta anima, & ſpecies mortalis marcida facta eſt,
Non penitus ſubmerſa tamen pulcerrima radix,
Fœdere quam vinctam ſtabili ſtirps dia labantem
Suſtinuit: cùm fortè ſtupens, ſenſuq́; doloris
Aegra tui, Tellus daret obuia ſigna, paterq́;
Lucis deficiens luctu Sol nocte diurna
Inficeret mundum; & rerum Natura ſoluto

Fœdere

Fœdere in antiquam vellet migrare figuram.
Stas media eluctans ex morte, caputq́; ſub auras
Erigis, in dulces reuocatus luminis oras
Tertia dum exoriens roſeis Aurora quadrigis
Fulgeret, & lux alma tua cum luce rediret.
Sub pedibus lethumq́; & noſtræ crimina culpæ
Ponis ouans, dirumq́; manu victrice Draconem
Contundis, veniamq́; & cœli limina pandis,
Viq́; potens dia rerum moderaris habenas
Magna trophæa ferens, Vt tandem ex mole laborum
Ereptos belli ſocios, tua membra per Orbem,
Iam tum orbe exacto, regnum in cœleſte reponas,
Quod diſpar ſpecie eſt, nec vultu adparet eodem,
Quo regum pompæ ciuilis in ordine vitæ,
Et ducti curru Capitolia ad alta triumphi.
Omne decus mundi, Mors claudit, & vltima me-
Victores victis, humiles ſublimibus æquat: (ta
Omnis honos, omnis cum vita gloria ceſſat,
Mors abolet quicquid ſublime, & quicquid honorum.
Sed tibi mors decori eſt, & erat victoria victo. (eſt:
Vt, poſtquàm Gideon vellet committere pugnam,
Emicat alliſis primùm lux condita teſtis:
Sic tua maieſtas in morte exerta refulſit,
Gloria pòſt mortem, & regnū pòſt fata ſecutum eſt.

Nunc circum ferimus luteis bona cœlica vaſis:
Morte obita, & fracta luteæ teſtudine carnis

Emicat inſertæ demùm præſtantia lucis.
O miranda quies, qua ſic opera ardua rerum,
Cæli opere, & terræ, & cunctis maiora creatis,
Abſoluis, quæ nulla virûm vigilantia, nullus
Heroum labor, aut feruens in prælia virtus.
Factus homo eſt, vt mente ſua templi inſtar ha-
Lætitia in cuius coleretur publica ſede, (ret,
Et rebus ſacris opera vſq; daretur, & illic
Exereret lumen Numen, traheretq; quietem,
Reſq; ſuas nobis conſorti traderet vſu,
Inq; ſua viuens gauderet imagine ſemper.
Verùm hanc lætitiam caſu turbauit acerbo
Rex Erebi infenſus, rupitq; repentè quietem,
Pollutumq; Dei templum, ſub honore perenni
Securus superûm, ſacrorum illuſor, & exlex
Reddidit infeſtum, turbatoq; ordine recti
Confuſum inuexit quiddam, primusq; malorum
Autor, mentem hominum pietate abduxit ab omni
Horribilem ad riſum ſuperûm, luſumq; ſacrorum.
Sed tu nate Dei demiſſus ab æthere ſummo es,
Vt requiem in nobis temeratam, ruptaq; ſacra,
Sanguine ſancires iterum, atq; in priſtina ferres.
Ergò luce ſacra, quam magnam in Lege vocabant,
Maſſa tua in tumulo ſopita in morte quieuit,
Et caro diducta eſt anima, verèq; ſoluta
Morte obita, cùm neutra tamen diuerſa receſſit
Diſſociata λόγῳ, qui tunc ne in morte reliquit

Conditor hanc maſſam, terra quam condidit olim,
Treſq́; adeò luces, lucis non reddidit auris,
Dum tandem exactũ eſt opus omne, atq; ordo ſalutis
Integer ad metam extremo iam fine ſtetiſſet.
Tunc buſto effracto lumen vitale reſumis,
Ingrederisq́; nouas lethi iam victor habenas,
Et ſacrum indicis ſolenne, diemq́; quietis
Perpetuum, quicunq́; fide ſe ad ſigna recepit
Chriſte tua, & quærit te portum, auramq́; ſalutis.
Tu geminæ conſors ſtirpis, rerumq́; potitus
Victor ouans, tu nos lacrymarum in valle morantes
Turpatos triſti illuuie, & ſqualore, ſituq́;
Horrentes, informe genus, taboq́; fluentes,
In numerum, pompamq́; tuæ feſtæ adferre lucis,
Quæ nunc ingreſſum primum, atq; exordia fecit,
Flamine te moderante chorum, greſſusq́; regente:
Sed tunc continuos exacta feretur in annos,
Cùm flos ille hominum numero ſelectus ab omni
Agni molle latus claudet, quocunq́; ſacratis
Inceſſum pedibus feret, & veſtigia flectet.
Tu maſſæ informi rutilum ſuper inijce tegmen
Iuſtitiæ, & ſordes, inhoneſtaq́; vulnera labis
Obtege ſolenni velamine, & obline ſacro
Sanguine plagarum veſtigia mentibus ægris,
Vt puris animis, & veri, & amantibus æqui,
Omne datum celebrent in libis dulcibus æuum;
Abſit amaricies, ſint corda expertia fellis,

Mores conueniant ſtudio, res æmula verbis;
Hæc vera eſt pietas, pietatem extendere factis.
Morte tua ſcopuli finduntur, & optima tellus
Omniferos laniata ſinus tua funera mæret:
Solus morte tua cantat plaudentibus alis
Noctis auis gallus; ſolus quoq; miles amarùm
Ridet, vbi miſſa ludit tua pallia ſorte.
Fortè ſub infami trabe triſti ſaucia caſu
Stabat acerbà gemens in nati funere mater.
O infelices nimiùm, ingratiq; ſalutis,
Queis patiente Dei nato, res ludicra cordi eſt,
Nec præſentis habent rationem temporis vllam.
Et cur nos pigeat conſortes ſub cruce ſaltem
Stare tua cum matre, piumq; haurire dolorem,
In cruce cùm noſtra pro labe pependeris ipſe?
Iam ter mille iubar confecit menſibus orbes,
Luſtraq; bis ſeptem, atq; alios ſeptem inſuper annos,
Ex quo gens Solymæ feſtis operata diebus
Dulcibus in libis, ſolidiq; in carnibus agni
Prima ſacrum coluit ritum per iugera Nili,
Stans accincta fugæ, & vinclis abitura Tyranni.
Tot ſerie annorum cœtus te Chriſte colentum
Texiſti excidij immunes, æuoq; ſequenti
Defenſos dabis, atq; extrema per omnia duces:
Quanquàm hominũ crudele nefas, & acerba Draco-
Circunſtant odia: hunc tu, oro, defende furorẽ, (nis
Fallant vota viros ſua, & aura hæc irrita ſpargant.

Vtq;

Vtq́ tuos olim conuiuas inter eundum
Veſcentes agno ſolenni, & ſanguine ſacro
Oſtia luſtrantes, texiſti numine præſens,
Intereaq́ viam tendens per regna Melonis
Prima patrum vindex ſtrauiſti pignora letho:
Sic nunc dexter ades, nosq́ adſere vindice dextra,
Quando fide vera te vero veſcimur agno.
Immunem à pœnis fatalibus, inter & arma,
Inter & excidia, & regum, populiq́ furores,
Effice, & inſtantes da belli euadere caſus
Cœtum aliquem, dictamq́ tuo de nomine gentem.
Cætera quæ Flamen, de more, piacula cæſa
Impoſuit flammis, reiecta tulêre repulſam:
Solus tu letho extinctus, grata hoſtia Patri,
Extinxti labes hominum, flammasq́ furentes
Numinis, in labes hominum: tu criminis expers
Agnus, & informis maculæ, fers crimina, et aufers,
Veſcentesq́ piè ſacris in ritibus agno
Iuſtitiæ donis, & vitæ fructibus exples.
In te dia, potens, viuax natura, caducam,
Exutamq́ anima, rurſus de morte reduxit,
Vt referas vitæ, & ſimili des luce potiri
Chriſte tuæ inſertis fidei per vincula maſſæ.
Ergò mala corpus fœtum lue, morte prematur,
Tuq́ Patris Verbum viuas in pectore noſtro,
Et labe excluſa, ſolus modereris habenas:
Tunc etiam nobis requies tua cedet honori.

Ex fragili terra noſtrum eſt genus, hucq́ referri
In fragilem terram pòſt lapſum, & crimen, oportet.
Poſtquàm etiam reprobos gelido complexa ſepulcro
Terra ſemel; vinctos tenet, æternùmq́ tenebit (eſt
Vrgens mole ſuper, nec eos Acheronte remittens
Eniti ad ſupera arua ſinet, ſedesq́ beatas.
Sed tu viuifico contingens corpore terram,
Eſſe pijs vmbris tenuem, & ſine pondere terram
Efficis, & prohibes vrgeri mole moleſta.
Propter & afflatum primi ſerpentis in horto,
Serpentes veros ſpinæ generare medullam
Pythagoras etiam nouit: nec Muſa Maronis
Anchiſæ in tumulo productum ſupprimit anguem:
Sicut apum examen liquefacti ex viſcere tauri
Prouenit; aut ab equis crabro, aſpera peſtis equorũ,
Aut alia ex alijs inſecta animantibus orta.
Heu quanta illuuies ſerpentum, inſecta paludis
Infernæ, ad manes, atq́ irrequieta ſceleſtum
Buſta ſedet, fibras depaſcens vindice morſu,
Atq́ immortali miſeros in morte fatigat.
Sed tu nate Dei, latebras, & buſta piorum
Aligeris pueris, quibus eſt cuſtodia noſtri,
Præcingis; qui relliquias, habitacula quondam
Ætherei flatus, rurſusq́ habitacula quondam,
Sacras exuuias, ſacra oſſa, animæq́ latebras,
Diſpoſiti obſeruant, obſcœnaq́ caſtra malorum
Spirituum, à ſanctis procul inde cubilibus arcent,
Ceu

Ceu tua ſeruabant rutili monumenta miniſtri,
Et ſomnum aſpirant, & in vrna perpetuum Ver,
Speq́ue nouæ vitæ, ſolantur damna prioris.
Quando erit illa dies, quo læto Chriſte regreſſu
Conſpectum reddes te iterum, maneſq́ue ſepulcris
Voce tua excibis, ſimiliq́ue ornabis honore,
Quo te magna cohors pòſt hauſta pericula mortis
Claro incedentem lucis conſpexit amictu,
Coniunctum greſſu, & voce, & nota ora ferentem,
Argumentum ingens quod conſuetudinis eſſet,
Nec non congreſſus cœleſti in luce futuri.
Pulcrius haud equidem tempus, nec amœnius
Illuxiſſe reor, quàm Ver erat illius anni, (Orbi
Cùm Deus effracto ſurgens ad ſydera buſto
Tecum ſancta virûm referebas agmina luci,
Atq́ue in concilium Vates venêre, tuumq́ue.
Condenſi clauſêre latus, matreſq́ue, viriq́ue
Sæpè tuo dulces hauſêre ex ore loquelas
De generis noſtri exortu, miſeraq́ue ruina,
Deq́ue tuis meritis, dum nos in priſtina reddis,
Deq́ue ſecuturo vitæ immortalis honore,
Cuius ibi antè oculos tunc viuum exemplar habebāt.
Ergò agite, ad cœtus horum, & commertia lin-
Mente ferant ſeſe noſtra agmina, et aure capaci (guæ
Accipiant, quicquid loquitur ſapientia Verbi.
Nunc denſis rerum in tenebris, variiſq́ue periclis
Degimus hoc æuum, ſuſpenſaq́ue pectora tantùm
Nequicquàm

Nequicquam externis inhiantia ritibus hærent,
Ceu matrum pia turba tuum mulcere cadauer
Geſtit odoriferis guttis, Syrioq; veneno.

Sæpè ferens greſſus huc, illuc; lumina mœſta
Sæpè etiam huc, illuc flectens, te quærit, & orba
Abſentem queritur, mœſtisq; ita vocibus illud (crũ,
Triſte ſonat, Dominum abreptum, vacuumq; ſepul-
Ambiguum, qua nam tandem in regione locârint.

Sed tu nate Dei diuina pectora luce
Irradia ſuper, & naturæ abſterge tenebras
Horrificas; per te caligo victa recedat,
Inq; anima lucem cœleſti ex fomite, & imi
Pectoris accendas veros lux vnica cultus,
Et te his in tenebris vitæ quærentibus offer,
Et blandis oculis, cœli quibus aſtra ſerenas,
Reſpice nos, dictisq; animas affare dolentes,
Vt lacrymas ſiſtant, & ponant corde timorem,
Te medijs præſente malis, & damna leuante.

Tu nos in medio luctantes turbine lethi
Vitalis ſucci radix, mortisq; medela,
In vitam reuoces, & lumina morte reſignes,
Per te, per qui te genitor ſine tempore, & æuo,
Temporis, atq; æui exortem, ſed numine, & æuo
Conſortem genuit, viuum Patris inſtar habentem,
Æternum Verbum, verum de lumine lumen.

VISIO EZECHIELIS, DE RE-ſurrectione mortuorum.

NEc grauior vox vlla, nec eſt ardentior vlla
Æthereis audita plagis, auditaq́; terris,
Quàm quæ miſſa tuo diuino ex ore ſonabat
Nate Dei, quaq́; vſus eras ab origine mundi,
Et ſæpè ingeminans repetiſti ante ora Parentis,
Vt gens ſacra tibi ma[illegible]t, deuinctaq́; eodem
Perſtet in aſſenſu, tandemq́; bona vltima cœlo
Accipiat, vitam, cui ſit mortalis ademta
Conditio, & nullæ turbent ſpes deinde, metusq́;.

Si non vita foret melior meliore ſub æuo:
Nil refert bonus, an reprobus dicaris; & alto
Arbiter in cœlo eſt nullus; ſed iniqua, ſed æqua
Patrantes, æquo ſunt in diſcrimine habendi,
Parsq́; hominum melior ſtultè tot acerba, tot aſpra
Fata ferat. Sed fert tot acerba, tot aſpera fata,
Nec iactare iugum meminit, nec frendere ad auras,
Spe vitæ alterius, qua magnis par ua piabunt
Damna bonis ſuperi, ſi quos toler antia fortis
Fecit ad extremum rectiq́;, boniq́; tenaces.

Ah quã magna premunt tam paruã incõmoda vitã?
Cùmq́; bonos tantùm lædant, etiam aſpera tangunt
Fata bonos tantùm: ſed tunc ſecura Dei gens
Ridet fata aliena ſui ſine parte doloris;
Friget mutua flamma, fides nuſquam integra terris,

Gratia

Gratia fortunam ſequitur, velut vmbra ſereno
Sole aliquod corpus, Sol occidit, occidit vmbra.
O demens qui te terris Aſtræa requirit
Aurea: tolle miſer vultus ad ſydera cœli,
Aſtræam & cœli poſitam inter ſydera cernes,
Non terris quærenda latet. Sed rarò diſertis
Telluntur morbi verbis: medicina paranda eſt
Vera modis veris, nec inani vulnera fuco
Obducenda foris, ſed & ab radice leuanda:
Nam dum fomes adeſt, morbis patuêre regreſſus.
Sed mala ſæpe malis, & ſæpe venena venenis
Admixto curant oleo: læſiq; Neparum
Ictibus, accipiunt rurſus medicamen ab ipſis.
Noſtraq; mors etiam curatur morte, nec vllis
Auxilijs aliter. Tot enim natura laborat
Preſſa malis, & tot curis ingentibus ægra
Carpitur, & viuit vulnus, creſcitq; medendo.
Sed mors ſola mali finem facit, vna medela
Omnibus in morbis & ſpes, & meta laborum.
Mors ſanat, ſi quod fuit inſanabile vulnus,
Si tamen admiſces oleum, quod gratia Chriſti
In mentes ſpargit per ſacræ munia vocis.
Nulla ſalutaris mors eſt, ſi balſama deſint,
Balſama cœleſti tantùm ſtillantia voce.
Cùm tu Chriſte fores alta trabe fixus in auras,
Triſti morte tua dulcis mihi vita redibat,
Vt Simſonis apes cæſo emerſêre leone.

At velut ex ſuccis miſcentur pocula amaris,
Auxilium morbo affectis; ita turbida curis
Pectora, de ſolo ſperant medicamina morte,
Certaq́ ſpes vitæ recreat poſt fata futuræ.
Talibus indicijs lenibant tempore triſti
Pectora mærentûm, Vates in gente reciſa
Atq́ malum mortis vicit ſpes altera vitæ:
Qualis fata canens Chaldæa in gente ſacerdos
Firmabat viſis animos, & voce leuabat.

Tempore quo magni gens cruda, atq́ eſſera Iudæ
Triſti ignominia afficeret ſacra ipſa, ſacrosq́
Legatos, traheretq́ animis faſtidia Verbi,
Et pœnæ ſecura, Deiq́; nec amplius vllæ
Hanc poſſent terrere minæ, et monita aſpera Vatum:
Tunc aliquot vicibus compulſi in vincla trahuntur
Per regem Aſſyriæ, & victi ſine robore Martis
Helciadæ Vatis ſuaſu mox dedita præbent
Colla iugo, atq́ vltrò veniunt in iura volentes,
Qua vice comprenſi media inter millia abibant
Fatorum gnari Ezechiel; quoq́ ante leones
Dedidicêre famem viſo, & poſuêre furorem.
Pars etiam regis præfectum, ipſumq́ ſuperbo
Deſpexêre animo regem, & contrà omnia iura
Seruitio exiuêre, carentemq́ imbribus oram
Monſtriferæ Ægypti, quæ Cancri ſubiacet aſtro
Infami petiêre fuga: Nec tempore longo

Pent

Penè omnes letho cecidêre: miſerrimus vnà
Helciades Vates, cui ſemper triſtia cordi
Carminaq́;, lacrymæq́;, & luctiſoni modulatus.
Ergo ſuos dictis leuat, & mœrentia mulcet
Agmina Chaldæus Vates, cùm triſtibus eſſent
Subiecta imperijs altæ Babilonis in ora.
Nanq; canebat, vti bis ſeptem ex ordine luſtris
Exactis olim, ceu præſcius innuit antè
Helciades, iam tum vinclis exire liceret,
Et patriam antiquam maneat ſpes certa videndi.
Sed quia multa virûm crudeli corpora bello
Cæſa forent, nec fata darent contingere metam
Omnibus hanc, tantumq́; æui ſperare negarent:
Tum conuerſus ad hos Vates, tandem implet hiantes
Spe vitæ alterius, mentisq́; in auita regreſſu
Corpora poſt mortem, promiſſisq; erigit vltrò,
Quæ bello cæſos, & adhuc in luce morantes
Contingunt, omne Iſacidûm genus, omne piorum,
Temporibus mundi quocunq́; ſub axe futurum.
Ergo ipſi obijcitur, Vatum de more, modoq́;,
Ingens oſtentum; (ceu per deſerta vaganti
Mirifica in ſpecie tot opes, tot regna videnda
Tentatum adueniens moderator callidus Orci
Expoſuit Chriſto:) Nam conſpicit oſſa patentes
Per campos inſtrata ſupraq́;, infraq́; referri
Cum ſonitu, & iungi ſolida compagine in vnum
Trunca modis miris; tepefactaq́; ſanguine, & aura

Exuuijs

Exuuijs florere nouis, extendere fibras,
Luxuriare thoris pectus, cor feruere motu,
Oraq; humo erigere, & ſpirantia corpora ferri,
Denſa virûm ſeges, & campis exercitus ingens.
Huic viſo res ipſa fidem dedit, excitus olim
Ut redit in lucem Chriſtus, poſtquàm alter ab illo
Ezechiel diſperſa ſolo peruenit ad oſſa
In Moriæ monitis radicibus, inq; virenti
Spelunca Mamræ, cùm ſecum ad lumina vitæ
Oſſa Patrum, & Vatum domita iam morte ferebat.
Sed partim euentus ſuprema in luce probabit
Oſtentum, plenèq; opus exiget omne ſalutis,
Omnia cùm viridi florebunt oſſa iuuenta,
Viſa nouis ferri ſpolijs, animaq; recepta.
Sed Dominus, ſatus ille Deo Deus, ore locutus
Suſcipit hic, (Qui ſæpè Patres dignatus amico
Alloquio, & ſemper caſus comes ibat in omnes,)
Hæc oſſa, hæc, inquam, trita oſſa, exanguiaq; oſſa,
Hæc ſunt tota domus magno Iſraële creata,
Nec quæ terrigeno ſolùm de corpore nata,
Sed quæ cæleſti ſuperûm de ſemine creuit.
Sicut enim gens ſacra omnis ſunt patris Abrahæ
Semina, qui pater eſt arcana ſorte piorum:
Sic & iurati CHRISTO, ſunt vera propago,
Vera domus, verum genus Iſraëlis auiti.
Ergo ſimul gentes, & cretos ſanguine Iudæ,
Omne pium genus hic euentus tangit, & omen

Prodigij tanti, viuos, atq; æthere caſſos.
Nam quos primus equis Oriens illuſtrat anhelis,
Et contrà Heſperio venientes orbe coloni,
Accumbēt menſis Abræ in cœleſtibus oris. (Thomas
Hæc vbi dicta dedit Dominus, (quem nomine
Ipſe ſuum confeſſus erat Dominumq;, Deumq;:)
Mox ſubdit triſtes, quibus vtitur ægra, querelas
Triſtibus in rebus ratio, & cum murmure profert,
Communes hominum ſub fato vrgente querelas.
Tentat enim interdum mentem rationis egeſtas,
Ecquæ fortè Dei nobis immenſa poteſtas
Sit, varijs rebus cauſamq;, modumq; miniſtrans?
Num cura, & ratio ſapiens, vel caſus agat res?
Quò vitæ flos ille abijt, viridisq; iuuenta,
Succi plena, roſasq; genis imitata rubentes?
Aruit hei, maciesq; artus tenuauit, & oſſa
Nuda reliquit humi, ſemeſa, carentia ſucco,
Scabra ſitu, cinerem, & bibulas ſimulantia teſtas:
Quis ſperet vitam reſidere ſub oſsibus illis?
Iam ſpe decidimus noſtra, & mors falce recidit
Noſtraq;, nosq; ipſos, ceu prata per herbida meſſor
Manè ſecat florem, quem ros ſub nocte creauit.
Hanc veterem in ligno ceciniſti Chriſte querelam,
Tu quoq; cùm diſtentus eras palmasq;, pedesq;.
Arebant fauces, arebant oſſa, labore
Hauſta, peruſta ſiti, marcentia Patris ab igne,
Spes te deſtituit, lucisq; refectus ab ora

Aridus inter mœſta iaces, arentiaq; oſſa,
Qui tamen arbor eras vitæ, & flos regius ipſe.
Hoc vetus, atq; recens lugubre, & flebile carmen
Orê iterat mœſto gens omnis in omnibus oris,
Floruimus, ſpes noſtra cadit cum flore, perimus.
Sic & mœſta Rachel natorum funera plorat,
Qui nuſquàm ſuperent, nec luce fruantur, & aura.
Hæc eadem ingeminat laribus diuulſa paternis
Gens Solymæ, fletu indulgens Babylonis ad amnes.
Hæc & Tharſiaci repetit querimonia cygni,
Tertia qui raptus peruaſit in atria cœli,
Quòd ſors noſtra refert agnos, quos deſtinat ara
Succinctus cultro media inter lumina diuûm
Sparſurus rubris iugulis impunè cruorem,
Inq; dies letho miſeros depaſcimur artus.
Ah quoties, & quæ profert lamenta ſub auras
Gallia cum Belgis, dum funera mœſta ſuorum
Aſpicit, & florem gentis videt igne cremari,
Et cineres mœſta obſeruans, bibulæq; fauillæ
Relliquias, longis plangoribus æthera pulſat,
Liliaq;, & regnum florens areſcere clamat,
Et ſpes collapſas eſſe, acciſamq; ſalutem.
Nam quis in aridulo cinere, vacuisq; medulla
Oßibus, auräi quicquam pòſt fata manere,
Quæ rurſum aſſumat viridis noua tegmina formæ,
Quis putet? abſumtum cinerẽ, atq; oſſa arida cernẽs.
Quid? non in lacrymas imus, mediaq; tenemus

 Mortis

Mortis iter, totieſq; impellimus aſtra querelis,
Turturis ædentes gemitus, & carmina cygni,
Cùm mors ſpem generis, cognataq; viſcera, nobis
Abripit ante diem, & cùm tota repentè videtur
Conſediſſe domus luctu, in lacrymaſq; ſoluta
Amiſſos vitæ ſocios ſermone requirit?
His igitur, quos dura premunt incommoda rerũ,
Aut dulcis vitæ ſpoliantur lumine amico,
Talia dicta refert: Ego ſummi vera Parentis
Progenies, veſtris faciam ora patentia tumbis,
Et vos, ô noſtrum populum, gentemq; fidelem
Ex harum latebris educam ad lumina Solis,
Et ſanctis Solymæ terris, æternaq; in arua
Votiuæ Canaæ, ſuperûm ad felicia rura,
Verus ego Ioſuas, dextra omnipotente reducam.
Hæc ego vt in mentem reuocem ſolatia vitæ,
Et veteris celebrem monumenta inſignia facti:
Vrget priuatus dolor, & communis vbiq;
Luctus, vbi cœlum intentat, mare, terra, ruinam.
In rabiem iuraſſe putes, ita numine læuo
Miſcentur fas, atq; nefas, fatiſq; fatiſcunt
Iuſticia, & candor, pudor, obſeruantia ſacri,
(Nil contrà lex vlla poteſt:) velut acta phaſelus
Flamine tranſuerſo volat, atq; ars victa magiſtri
Ceßit, & erroris non neſcia ſeruijt auræ.
Hos inter luctus acres, acerrimus ille
Acceßit luctus, quem quo dicam ore, quibúſue
Proſequar

Proſequar in lacrymis, & quali carmine, nuſquam
Repperio: in magnis curis eſt nemo diſertus.
Nanq; inter ſanctas operas, telamq; laboris,
Dum cano venturæ ſolatia dulcia vitæ:
Ecce mihi ſubitò percellit nuncius aures,
Tota quòd AVGVSTI concuſſa eſt regia luctu
Morte ducis teneri; cui Parcæ parca dederunt
Fila ſuæ vitæ, ſed qui ſeſe ore probabat
Tanto patre ſatum; Qui, ne non omnia haberet
Auguſti patris, patris quoq; nomen habebat,
Cætera fert ætas, vt, qui nunc paruulus aula
Luderet AVGVSTVS, fatis poſcentibus olim
Ingentem regeret patrijs virtutibus aulam.
Hei quàm nil ſtabile eſt; hæc ſpes pernicibus alis
Ex noſtris oculis ſublata repentè volauit,
Exertumq; recèns florem ſubitò impulit Auſter
Sæuus humi, florem, qui vix ſub tempore veris
Emicuit gluma ſub apertas ætheris auras,
Et tamen in nondum exacta, ſaltemq; puſilla
Parte ſui, miro decorabat lumine terram.
Quàm ſubitò in gemmis emarcuit, vt neq; ſumma
Incrementa tenens, nec adhuc fragrantia pandens
Brachia, tàm ſubitò lapſis defluxerit ipſe
Circà ſe folijs, iam pulueris inſtar, & vmbræ,
Quem neq; decerpſit quiſquam, nec mollibus antè
Aptauit ſertis, ſed fruſtra effuderit omnem,
Cui tam ſollicitè indulſit Natura, laborem.

Oſtendit tantùm hunc terris ſpes alma; ſed ipſum
Inuidia à tergo veniens rapuitq́, tulitq́: (tem,
Vidimus auguſtam palmam, te Auguſte paren-
Qui magnis virtutum alis, velut agmine quodam
Ramorum ingenti, è terris ad ſidera tendis,
Vidimus hanc alios equidem ſuperare, ſupraq́
Efferri longè; ſed in hoc ſuccumbere caſu
Naturæ, & ſummum terræ inclinare flagellum
Amiſſum ob florem, & clari diſpendia ſexus.
Vidimus & vitem, regali ſanguine natam,
Illuſtrem dominam, quæ palmæ innexa cohæret,
Et florem hunc nobis peperit, quos nam illa dolores,
Ceu rurſum pariens animo, non corpore fœto,
Pertulerit, cùm mors inopina inuadere florem
Viſa fuit, carpens vno ictu, atq́ impete in vno.
Quod tunc agmen erat, quæ lecta frequentia? vt om-
Terrarum populus concurrere dictus in vnum (nis
Vnius ob cladem? ſpectaclum gentibus ingens
Propoſitus flos ille ſacer fuit, aureus ille
Aureola inſertus ciſta, quando vltimus eſſet
Mortis honos, magni ſolatia parua doloris.
Ibant demiſſis oculis, ſalſoq́ refertis
Imbre, manus nexæ manibus, latere hauſtus ab imo
Spiritus, & tractim inſequitur mæſto ore ſuſurrus.
Non tum igni lumen, gemmis non fulgor, & auro
Gratia: communi lugebant omnia luctu.
Offndit lippos oculos nitor ignis; & ægros
Ornatus,

Ornatus, nugæ ægrotos, victa agmina Pæan;
Triſtis, amat tenebras, & flere eſt ſola voluptas.
Hanc primùm flammam Natura in pectora ſeuit,
Sanguinis & vinclo patres coniunxit alumnis,
Alter vt alterius rebus lugeret acerbis.
Sed pietas leges iubet eſſe, modumq́; dolori.
Hac ſine, quis motus animi ſuperare loquendo
Audeat, & verbis mandare grauiſsima factu,
Vt, qui viuit adhuc naturæ ſeruus, id ipſum
Naturæ imperium, affectus, ſuperetq́;, prematq́;,
Nec ſeſe vinci patiatur, vbi inſita flamma
Mota dolore graui, ceu folle cor æſtibus implet,
Expulſa ratione foras, ipſoq́; decoro.
Ergo etſi ſpecies exaruit aurea floris
O Auguſte pater, & mors duo ſidera frontis
Tegmentis ſuper inductis caligine merſit,
Et rubor in labris ſolitus certare pyropo
Nigrorem traxit; pallorem, purpura malæ:
Non animo frangâre tamen; nec enim vndiq́; noſtra
Conditio flori reſpondet tota caduco,
Qui cùm defluxit ſemel, iuit prorſus in auras
Gluma volans, ventis luſus, puluiſculus, & nil.
Sed placet exemplum floris: quia ceſpite auito
Vere nouo nouus egreditur. Cur corpore noſtro,
Inſita cui vitæ vis eſt, cæleſteq́; ſemen,
Non etiam melius, non pulcrius iret in auras,
Quantò deterius, quantò deformius intrat

Corpus humũ? granũ moritur, ſpica integra ſurgit,
Nucleus inſeritur, venit ingens arbor in auras,
Semen & eſt vitæ præſens hæc vita futuræ.
Si flos diſceßit de te; tamen ille recurrit
Ad ſuperos hortos:tibi clauſit lumina;at idem
Luminis æterno Patri recluſit: ab Orbe
Planta reuulſa fuit; ſed nunc eſt conſita cœlo:
Surgit ab hac menſa;ſedet ad conuiuia diuûm:
Terrenum liquit regnum; cœleſte recepit:
Purpureos poſuit regni cœleſtis amictus;
Impoſuit,non de lino, neq; vellere Serum,
Sed lucis ſuperæ radianti indutus amictu.
Cerne,precor,quæ dona,quibus mutârit,an angit
Te patrem ô Auguſte pater, quòd corporis vltrà
Non decor apparet?nec enim decora illa videntur
Vera tibi mentis,queîs nunc premit aurea cœli
Aſtra nitore ſuo, & Soli vix lumine cedit.
Quàm felix oculus cui nunc datur ora tueri
Vera Dei:quàm ſuauè ſonans, atq; æmula cygnis
Lingua Dei laudes exornans munere laudum:
Quàm pulcræ ſine labe manus, quàm deinde decora
Signa pedum, nulliſq; vijs obtrita ſceleſtûm?
Et quàm tota animæ facies non fulgida gemmis,
Non ebore, atq; auro, ſed ſimplicitate renidens.
Et quiſquam indignè ferat,hæc cùm dona teneret
Huic qui contulerat rurſum integra dona tuliſſe,
Nec ſcelere excußiſſe vllo, nec labe notaſſe?

Et

Et cùm crimen habet nullum, nullum incutit ipſi
Vlla metum Furia, aut facibus accingitur atris.
His ornata bonis felix illa vmbra volauit
Ad cœlum citius, quàm longior inquinet ætas.
Ergo etſi iuſtum contraxti Auguſte dolorem,
Hunc iterum ex iuſtis cauſis depone dolorem.
Nec mortem incuſes nati, quem viuere noſti,
Viuere quem teſtaris adhuc, quia pergis amare.
Nam quis amat, quod non vſquam eſt, & deſijt eſſe?
Sed deſiderium manet, atq; affectio prona:
Eſt igitur, vitamq; alio nunc ducit in Orbe,
Et fruitur meliore bono, quàm morte reliquit;
In damno lucrum eſt, & in ipſo funere fœnus.

IN FESTO *Paſchatis.*

O Sate mente Dei, ſed nobis ſanguine iuncte,
Quos propter tantas voluiſti expendere pœnas,
Qui paulùm abſtruſa, ſed mox virtute retecta,
Luce ſub hac viuum referens te lucis ad auras
Fata probas factis: Te peſtem ſenſit Auernus,
Senſit, et exangui moriens animam eripis hoſti,
Teſtis item, nobis deberi parta cruore
Dona tuo, dona ore tuo mortalibus offers:
Expedij victor letho me, & tartara fregi,
Nunc viuo, & quantumviuam, viuetis & ipſi,

Nunc vici, & quantùm vincam, vincetis & ipſi:
Nos tibi, quòd tanto miſeros complexus amore es,
Et tantis meritis cumulaſti, & munere multo
Quæ tuus hic reditus affert mortalibus ægris,
Nos, tibi vocali lingua, nos pectore anhelo
Et ferimus grates, & vota annectimus illis,
Fac caleant agitante tuo præcordia Flatu,
Qui cieat ſimili tibi dedita pectora motu,
Qualis & ipſe viget dius ſine crimine motus,
Perſuaſumq; habeant, quòd te ſubeunte dolores
Morte obita, æterni Patris ſedaueris iram
Conceptam de labe hominum; quòd & ipſe regreſſu
Chriſte tuo ad cœli iucundum lumen, & auras,
Iure ducis Stygij detentum abſolueris Orbem,
Iuſticiæq; nouæ decus, & noua lumina vitæ
Denuò in integrum tuleris: Tu mortis acerbum es
Demolitus opus moriens: Tu redditus auris
Dulcia perpetuæ reparaſti munera vitæ.
O vtinam ſine luce homines, glacieq; rigentes
Gaudia conciperent animis, veroq; micarent
Lætitiæ geſtu: vitalesq; ore trahentes
Lucis adhuc auras, medioue in turbine lethi
Sentirent fructus, & nectar dulce ſalutis
Quod tuus in vitam reditus gremio attulit almo,
Vt Patris ad ſolium per vera leuamina Verbi
Se referant, votiſq; dari tua munera poſcant,
Subnixiq; tuis meritis, fretiq; triumpho

Iuſtitiam

Iuſtitiam capiant, & ſacri Flaminis auram,
Et ſortem vitæ perituram tempore nullo.
Sed nimis anguſto mentes velut orbe tenentur,
Nec ſpatij ſatis eſt amplas res, ampla fouendi
Gaudia contracto in gremio, & tàm carcere paruo.
Ergo age tu victor miſerans incommoda noſtra
Aſsis, & proprius firmes tua numina Chriſte,
Et tenuem aſſenſum tua prouehat ampla poteſtas,
Hisq; rudimentis primis adiunge vigorem.
Tu vegetam lino tabenti ſuggere flammam,
Ut bona parta tuo reditu, celebriq; triumpho
Notitia maiore ſui pia pectora tangant,
Grataq; proueniant ex his tibi præmia laudum.
Et cùm ſit de Patre tibi data ſumma poteſtas,
Et rerum ius obtineas, quas maximus æther
Continet intrà ſe, & quas extrà amplexibus ambit,
Et quas magna parens frugum latiſsima tellus
Aut tacito fouet in gremio, aut producit in auras:
Tu fer ſubſidium caſsis ope, & agmen inerme
Viribus humanis defectum, & robore Martis,
Defenſum præſta: nec ſint qui tendere contrà
Sufficiant, viresq; hoſtis preme Chriſte valentis,
Cui nemo audebat vires opponere, nemo
Frangere ſæuitiam, & cædes inhibere cruentas.
Tu ſæuire animis haud vltrà paſſus acerbis
Arduus, arma tenens, vltrò fers pectus in hoſtem,
Et pugna melior colliſum extendis arena.

Illum

Illum exertantem iam ſe furialibus auſis,
Dum reficit ſe in bella, nouasq́; recolligit iras,
Inuiſum detrude tuo ſub tartara telo,
Nos non obniti contra: At tu ſuffice mentem
Dia ſtirpe potens, & vim ſine viribus adde,
Vt tandem immunes belli, atq; impunè quieti,
Et tecum patrijs compoſti in ſedibus altè,
Ducentesq́; choros, & belli præmia palmas
Tendentes dextra, & lætum Pæana canentes
Te rerum dominum, largitoremq́; ſalutis
Luce palàm amplexi, merita cum laude vehamus.

His ita ſuſceptis ardenti pectore votis,
Hoc gemitu, indicioq́; pio, nos tempore tali
Tanquam perſpicuo fas eſt ſecernere ſigno
Turpibus à gregibus, damnatoq́; agmine Auerni
Os diſtorquentûm, virusq́;, & acerba vomentûm
Crimina, & audentûm propè luctiſono vlulatu
Sancta rudimenta, & ſcriptum conuellere verbum.
Et cum Patre negant Natum par numen habere,
Quod non principium, quod non extrema fatigent.
Stirpem abolent alij ſuſceptam in virginis aluo
Deijciuntq́; à ſorte ſua: quin protinus omnes
Per cœli extendunt tractus, terræq́;, mariſq́;,
Ne caro, iam caro ſit, ſed verſa in numen abiret.
Nam Stygio præter compulſos turbine Vates,
(Hic Ebion dictus; compreſſius mole lauacri

Ille Cherinthus erat; Samoſato venerat alter,
Mœrore ingenti crepat Arius, inſtar Iudæ,
Extrema Heſperia venit Seruetus in auras,
Italicaq́; è gente ſatus Blandrata recentem
Iungit opem, ſtygijsq́; ferit clangoribus aures,
Felix ſi ſuccis operam conferret, & herbis,
Nec virus vomeret, & non innoxia verba:)
Imperium latè tendens, ferriq́; rigorem
Expreſſè referens Marte, & crudelibus armis,
Conſtituit Mahomete tibi, paßimq́; potentes
Supponit populos, & iura imponit acerba.
Os illi ſublime datum eſt, audaciaq́; ingens
Addita, nec freni patiens, ſed in atria cœli
Os rabidum locat, & Chriſto conuitia ſpargit,
Et negat eſſe parem natura, & tempore Patri.

Parte ſed aduerſa, ducis Eutychis impia dicta,
Impia perpetua ſemper damnanda litura,
In lucem reuocant, fictisq́; coloribus ornant,
Teq́; hominem nunc Chriſte parant abolere, tuamq́;
Veram hominis maſſam dictis elidere tendunt.
His velut è medio rapiunt, ſolatia vitæ,
Qualia certa fluunt ſaluo de germine carnis.
Ac velut amittit mœſtus ſua lumina Titan,
Fortè viam ducens ſæui inter Orionis aſtrum,
Pleiadumq́; faces: ita regna ingentia mundi,
Et vis ingenijs maioribus inſita fato,

Facta

Facta nube premunt, & opacant triſtibus vmbris
Iuſtitiæ Solem, Patris & de lumine lumen,
Viuum, & ſubſiſtens, Patris & de numine numen.
Hei quantæ miſeris tenebræ mortalibus inſtant
Fine ſub extremo, quo tantò ſæuior ardet
Rex Erebi, quantò propior iam terminus illi eſt,
Cenſuræq́; dies, olim iam addicta malorum
Supplicijs, cùm nec fundo ſtetit ædita tellus.
At quantó incipiunt magis increbeſcere mundo
Errorum tenebræ ſubducto lumine Verbi:
Acrius hòc ſtudijs fas eſt incumbere, vt acri
Arte malum auertas, ne fòrs ſolatia viua
Mota loco cedant, dubiusq́; vageris, & expes.
Quò fugere hoc poßis; tu firma mente teneto (ſtum,
Verum homĕin, verumq; Deum, totum vndiq́; Chri-
Nec geminum confunde genus; ſua munia cuiq́;
Certa manent; nec tu perſonæ fœdera ſolue,
Nec fictas tende ad latebras, aut vana require
Effugia, humanæ quæ fingit opinió mentis,
Quales parturiunt tenebras, qui pectore ficto
Relligionis opus ſimulant; aut more ſiniſtro
Sacra Dei exercent; aut qualis acerba potentûm
Factio cum Chriſti perſona bella gerebat.
Sed neq; certamus rabidis illudere dictis,
Si dominum terras viſentem in imagine carnis,
Et tenui abiectum ſorte, & fata horrida paſſum
Spernamus, numenq́; Epicuri more negemus.

Ille in

Ille in carne quidem lethum pro labe ſubiuit;
Sed mox vi ſupera rurſum ſe mouit ad auras,
Vt tibi iuſtitiam proſtrata morte referret:
Culpa tua, huic mors eſt, ſua mors, tibi vita viciſsim.
Nec reditu luſit, formaq́; fefellit inani
Præſtringens oculos, ſpecies ceu corporis expers:
Exhibuit carnem manifeſta in luce videndam,
Nec comprenſa manus effugit imago; moramq́;
Longam habuit terris, alternaq́; dicta viciſsim
Contulit, ac vitæ, & menſæ commertia iniuit,
Sole quater deno terram luſtrante recurſu.
Aurea tunc verè mundo defluxerat ætas,
Qua ſeries patrum, & reuocatus Chriſtus ad auras
Concilium inter ſe ſummis de rebus habebant.
Multi de tumulis exciti in lumina vitæ
Luſtrauêre oculis manifeſto in carnis amictu,
Mente prius norant quem per promiſſa, per vmbras.
Contulit Eua latus Mariæ, & ſua triſtia fata
Edidit: obſeruansq́; viri placidiſsima Sara
Conſeſſu mediam ſeſe tulit obuia Chriſto,
Qua regione lares antiquo tempore habebat.
Hic docet ipſa ſuas ſedes, & fata recenſet
Heliſabe quæ indigna tulit, dum vita manebat.
Nam Patribus ſedes Solymæ fuit aurea tellus,
Et pia ſceptra Salem rex Melchiſedecus habebat.
Verùm hos conuentus, atq; æditu dicta viciſsim,
Prætereo, neq; enim priſci retulêre tabellis,

Ne gens vana hominum, tantarum haud conſcia re-
Nec de ſtirpe Semi producta, experſq́; ſacrorũ, (rũ,
Seria pro ludis habeat, vel vana putaret.
Sed te victor ouans, decuit te pompa triumphi,
In cœlum vt magno numero comitatus abires,
Quem circùm fuſi proceres, & auita virûm vis
Exciperent plauſu, numeroſq́; & verba referrent.
O ſaltem reditum refer, in numerumq́; recenſe
Nos etiam pompæ tua pulcra trophæa gerentis,
Et palmas manibus, linguis tua facta vehentis,
Ne ſolos, ne nos tanto in diſcrimine linque,
Da patriam antiquam, primos vnde hauſimus ortus,
Cernere, & aſpectum communis redde Parentis,
Hoc fratrem decet, & pietas ita debita poſcit.
Nunc locus, effectum tanti memorare triumphi,
Quæq́; bona in lucem rediens ex morte tuliſti.
Nam tuus eſt reditus nobis certiſſimus index
Sorte pari mortale genus pòſt triſtia tandem
Fata reuerſurum iucunda ad lumina vitæ.
Te propter, ſuperas cùm ſis excitus ad auras,
Et per te, nobis aliquando ex morte reductis
Vita recens dabitur, lethiq́;, & temporis exors.
Vitaq́; in hos vſus primùm tibi reddita ceſſit,
Vt nobis eadem per te reddatur, & in te.
Nam quia de tumulo tua maſſa excita ſub auras
Vi ſupera nunc rurſus init data tempora vitæ:
Nos quoq́; in agnatam maſſam, & rata fœdera carnis

Inſerti, genus inq́; tuum compage propinqua
Tranſlati, vitam accipimus te propter eundem.
Ergo ſimul nobis tecum ſpirabilis aura
Venit, & hanc à te vitam inſitione tenemus,
Inſita ceu ſuccum deducit ab arbore planta.
Nam λόγος ipſe ſuæ qui reddit lumina maſſæ,
Ille meæ reddet quondam quoq́; lumina maſſæ.
Vnus vtramq; habitat ſacer halitus, vnus vtramq́;
Vitali flatu mouet, & dat luce potiri.
Quare agite, & quiſquis conſors vult eſſe bono-
Dum præſens vitæ tempus manet: ille tenaci, (rum
Nec dubia bona tanta fide ſibi commodet vltrò
Hic modus, hæc ratio eſt, hæc inſtrumenta tenere
Mente decet, ſuperas datur his contingere ſedes.
Sic equidem ducendum animo, te in fœdus amoris
Ante Patrem recipi, meritis, & munere nati
Iam letho exciti, & iam nunc ſupera aſtra tenentis
Imperio, & temet contra ſtygia arma tegentis;
Hunc complexus habe, ſic vitæ munus habebis.
At ſic mente tenes, Fidei cùm lumine ſancto
Concipis arreptum, qui ſedem in pectore figens
Intus agit vires, & nuſquam amittit euntem,
Et rectas docet ire vias, & ſuggerit artes,
Et dat noſſe Patrem, ſecretaq́; ſenſa recludit.
Idq́; ipſum fuerat, quòd acerba ex morte reuixit
Non ſecura hominum geſtet quò corda; ſed intus
Tecum habitans operi vſq; ſuo indulgeret; egenti

Ferret opem, voto annueret, mala cuncta leuaret,
Cepta ſecundaret, vireſq; haud digna ferenti
Sufficeret maſſæ, miſeræ & ſine robore maſſæ,
Quam ſibi mirando nexu conduxit in vnum.
Nec ſinit hos nexus, pactum iam fœdus, amorem
Compoſitum, & pacis ſimul inuiolabile pignus,
Reſcindi, aut vnquam valida compage reſolui;
Aut collo hærentes, & in oſcula ſancta volantes
Excerpi manibus patitur: velut æquore campi
Fidus ouis cuſtos vix agnam à matre profuſam,
Et nutante gradu luctantem in vepribus hirtis
Ipſe humeris ſubit, & ſuſpenſam cratibus infert:
Non, ſi tellurem medias effundat in vndas,
Trux coluber, ſuperos imis permiſceat vmbris.

Ergo etiam obiectos fato, inſidijſq; luporum
Imbelles agnos, clypeatos antè Tyrannos
Dicentes cauſſam, præſenti numine firmat.
Vt vocem inſonuit; notas vox contigit aures,
Balantûmq; manus properè coit omnis in vnum,
Solamenq; mali paſtoris carmine ſumit.

Mœſta ſuum in luctu quærens Eccleſia ſponſum
Ingeminat lacrymas, Domini ſibi membra repoſti
Excepta inſidijs; & quem non conſpicit vſquam,
Eſſe putat nuſquam. Quam contra ingreſſus amicis
Affatur dictis: Nihil hîc tibi, amica, relictum eſt,
Nec lacrymis hoc tempus eget, iam victor ad auras
Euaſi,

Euaſi; ſed fata eadem te deinde manebunt;
Parce metu, euades per mortem tu quoq; victrix.

CARMEN IN PASCHATE propoſitum.

O ſi animum inducant ſapere, et ſe credere Chriſto
Immanes ſcelere ante alios, quibus horrida re-
Supplicia expendenda, fugam cùm ſortè malorũ (ſtãt
Optabunt fruſtrà, & decurſa recurrere fata,
Vt poßint labem virtute abolere priorem:
Fata obſtant, viuosq; interſecat obice Auernus,
Nec fatum mutare datum eſt: hic vincite culpam,
Dum locus, & ſuſpenſa ſinit vindicta Tonantis,
Et nondum immerſit letho irremeabilis error.
Sed periiſſe ſemel ſat erat? peccare fuiſſet (bras.
Ante ſemel ſatis, & non culpam extendere ad vm-
Multi etiam immemores rerum, ingratiq; ſalutis
Propoſitæ (quanquam tali iam tempore lethum eſt
Ante oculos, denſæq; incurrunt vndiq; peſtes,
Vt credas Acheronta ſuis ſe exoluere monſtris
In terram, & Ditis ſedes aſtare relictas,)
Rident fata ſua obnixi, nec turpiter actam
In melius referunt vitam. Sed turbine cæco
Fertur atrox natura, neq; audit mentis habenas:
Sed Furia in vita, & poſt vitam vindicat acta.
Ah nõ infernis Furiã expectate ſub antris; (ßã
Hic Rhadamãtus habet fora, et hic mẽs reddere cau-

Cogit, & ipſa ſibi lis, iudex, tortor vbiq; eſt: (cauſſâ
Quod demùm miſerū eſt, petere, et non tangere fine,
Vita, vbi non vita, & mors immortalis habenda eſt.
Quo ſpes noſtra locò eſt ergo? quem prendimus (autem
Nobis auxilio ſubeuntem; aut vnde laborum
Tentamus feſſi requiem, rebusq; ſalutem?
Chriſte in te ſuprema ſalus; ſpes vna labantum
Te penes, ex te vno vitæ reparabile damnum eſt,
Vnus pro multis labem cum morte piâſti,
Vita, tua de morte, ſalus è ſanguine fluxit.
Prô, quantas magno ſenſiſti in pectore curas
Immeritum cùm te letho damnaret acerbo
Noſtra lues, nobisq; luenda ſub ignibus Orci?
Quoſue dabas gemitus, cùm ſtipite brachia tentus
Vtraq; ; perq; pedes. vnco traiectus vtrosq;
Ter, quater inſtares, Quid me pater optime feſſum
Deſeris? en animam hanc tibi reddo; ſacra peregi;
Omnia perſolui, iam ſoluam. Et talia fatus,
Ceruicem inflexam poſuiſti, & ſpiritus vnà
Se carne exoluit: Sic vera morte recepta
Frigidulis membris, anima ipſo è corpore ceſſit,
Non anima, aut corpus tamen vnquam à numine ceſ-
Nam foris abduxit numen ſe vltricibus armis, (ſit.
Sed non ad nexus diductum defuit intus.
Cùm ſubitò, ne quæ culpa intentata maneret,
Molle tibi dura diffinderet abiete pectus.
Auſa nefas immane manus ſuper vltima paſſum,

Nec

Nec pacem exanimis concederet oſsibus, & mox
Diſcolor vndanti ſequeretur vulnere riuus:
Mortalin' decuit lacerari crimine diuum?
Quo ſuper, & cautes concuſſæ, & conſcia tellus
Dat ſignum, crepuêre adytis prætenta recluſis
Vela; patêt ergo inuolucra, et nulla amplius vmbris
Obſcuris fata inuoluunt, iam munere Chriſti
Expleto, Vates. Tum nox horrenda diurnam
Lucem operit, rumpitq́; fidem natura, nec vltrà
Amiſſo rectore ſuas agit inuida partes.
Auertitq́; facem Phœbus, ne triſte dediſſet
Ad facinus lumen, radijsq́; à fronte reuulſis
Turbidus it, lugetq́; ſuum tecto ore magiſtrum.
O fœlix labes, quam dum luis ipſe, redemta eſt
Natura hæc, tantusq́; malo venit vſus ab vno.
Nam qualis, quantusq; vltor Deus æthere venit
Cœlum iterum terræ, ſummum imo, labile firmo,
Mortalemq́; Deo, atq; operi ſociare magiſtrum?
Hæc ſuperûm regem manes demiſit ad imos,
Ut ſuperis imos conuerſa ſorte referret,
Cùm mitem acciperet Deus in mortalia mentem.
O noua temperies; miſcetur molle rigori,
Gratia iuſtitiæ, & nata eſt concordia diſcors,
Ius voluit ſolui pœnam, ſed gratia tolli:
Vtraq́; lucta fuit iuſta, & digna vtraq́; palmis,
Neutra tamen vinci: Natus, iuſtiſsimus vnus
Qui fuit, in medio venit: ſententia fertur,

Succedens nobis in culpam, debita ſoluat.
Vtraq́, fit victrix, ſalua eſt ſua gloria vtrinq́,,
Iuſticia hunc pœnæ poſcit, Nos gratia ſoluit.
Nam quæ ſupplicia humanæ ſunt debita maſſæ,
Vnius in nati maſſam conuerſa feruntur.
Iuſticia, in pœna nati; Sed gratia Patris,
In venia lucet, quia nato prætulit hoſtes.
Quàm magna in vicibus vis eſt? pro ſontibus in-
Dum ſubijt, pœnas ſoluit: rurſusq́, merentes (ſons
Soluuntur pœnis, meritum hoc ſi pectore prono
Accipiunt, ſubeuntq́, fide tibi Chriſte ſub vnum.
Hinc iam prima boni eſt ſeries, meliorq́, ſequetur,
Cùm tandem euentus ſpem cunctam explebit, in ora
Ætheris, & fructum Fidei, data munera vitæ,
Tanquam fatalis Canaæ per rura, metemus,
Qui nunc deſertis ægri conſedimus aruis.
Tum quæ nunc animo haurimus cœleſtia pacta
Res dabit ipſa fidem, et trifidum cognoſcere numen,
Cœleſtûmq́, choros, præſentiaq́, ora licebit.
Nam qui te gelidis ſacer halitus excitat vmbris,
Nos tibi Chriſte fide iunctos de morte reducet
Ad vitam; geminos nanq́, incolit vnus, & idem.
Tu caput es de quo ſtillant in membra vigores
Viuifici, diuerſa regis quæ flamine ab vno.
Teq́, adeò decus hoc æui, te vindice inibit
Extremi ſub caſum Orbis, rerumq́, ruina:
Hic morti locus eſt, æuo cadet illa cadente.

Vt

Vt nox hæc luci, ſic mors ſubit æmula vitæ,
Altera lux noctem excipiet, vita altera mortem.
Facta fides rerum eſt, exemplis pluribus olim,
Cùm natura animi ſua rurſum in membra reuerſa
Corpus humo abſumtum carie, produxit in auras.
Præcipuè cùm iam precio pro labe ſoluto
Ex Acheronte ferens ſecum ſpolia illa recepta
Tot Vatum manes, patrumq; tot agmina; quondam
Lumine functa ſuo, atq; in lumen euntia rurſus
Siſtit ad ora virûm Chriſtus; quem plurima circùm
Turba ſonans mirata fremit, vicibusq; loquendi
Complexa inter ſe noctesq;, diesq; morantur
Haud dubium in pignus vitæ ſine fine futuræ.
Ecce fugax terræ rediit redeunte magiſtro
Gratia, quæ virides, capiti decus, ædit honores,
Ne ſpinæ premerent rorantem ſanguine frontem.
Iam pictæ volucres fundunt variabile carmen,
Et regi Pæana canunt, aliiq; laceſſunt
Pectora plauſa ſuis, ſimulantq; in fronde choreas.
Sol, qui depoſitis paulò antè inſignibus ibat,
Cum ferrugine equos mæſta inſternebat hiantes,
Emicat in currum, & terris os monſtrat honeſtum,
Iamq; iterum frondi radios accommodat aureos.
Ingeminat plauſum Chriſto, quæ funera dudum
Planxit humus tremula, vt laniatum corpore toto
Exanimemq; ſinu gelido complexa fouebat.
Aſpice, merſa ſolo præludunt ſemina vitam,

Quæ torpent confecta ſitu, cùm frigore rura
Claudit hyems, eademq́ genus meditantur auitum
Viſa noua in forma vernas ſe credere ad auras,
Cùm Solis calor inſinuans vim deinde repoſtam
Vrget agens motu, & ruptis efferuere glumis
Audet apex, patriiq́ modi memor ædit ab ima
Stirpe ſuum fruticem quendam, & florente coruſcat
In ſpecie, & nobis ſpem vitæ inculcat eandem.
Quæ vitæ ſimulacra geri tu cernis in iſtis
Corporibus quæ mente carent; hæc fata negabis
Euentura tuæ carni, quæ credita quondam
Lege Dei in magnam matrem reſoluta refertur,
Cui mens tanta, Deo ſimilis, cæleſteq́ ſemen?
Quid de Mercurij vena ſpectacula rerum
Mira canam? qui cùm tenues dilapſus in auras
It vapor; aut quauis reſolutus ab arte fatiſcit;
Suſceptus tamen in ſeſe redit, atq́ ita mortem
Fallit, & antiquos, moriens quoq́, tranſit in ortus.
Quin comperta loquar; denſo hunc miſcebis oliuo,
Et lue liuentes perduces corporis artus.
Quamuis ille malum fluidum premit, attamen ima
Oſſa per inſinuans capit artus, vinclaq́ neruis
Cæca ligat: donec labro in feruente viciſſim
Artubus elicitur certis tibi ſudor ab herbis;
Tum ſumma extortus pro pelle effingit arenam,
Quæ mox ſub lymphis in denſum cogitur, & ſe
Induit argenti in liquidi reparabile corpus,

Et tibi ſpem vitæ tanquam omine firmat aperto.
Quæ iacere in ventos ſine pondere, tenuia ſigna;
Cyclopum furor eſt, & prouida mentis egeſtas.
Quid? non hæc eadem geſtis in rebus auorum
Inuoluit, ceu nube tegens, nunquam irritus ore
Regnator, cui vox mundiq́3, hominumq́3 creatrix,
Pactus opem proauis, & caſus tegmen ad omnes.
Hi vitam aßiduè in luctu traxiſſe feruntur,
Quos habuit curæ tamen, & plus lumine amauit
Ipſe ſuo, quorumq́3 manu deſcripta teneret
Nomina, per ſeriemq́3 actum genus omne futuram.
At dictis manet, & vanum non repperit vllus
Ore Deum, reſtant ergo, noua gloria, & ingens
Alterius vitæ decus, vt tandem orbe peracto
Sub pedibus lethum, ſupremum collocet hoſtem,
Reddat & optatam luſtrato corpore vitam,
Cuius ſpe tollunt animos, pulſusq́3 recedit
Corde dolor; ſi qua immeritis iniuria fertur,
Arma ferunt nulla, at numen iuſtumq́3, memorq́3,
Et ſi qua eſt cælo pietasq́3, fidesq́3, precantes
Venturis fatis præſentia fata rependunt.
Ferte mala hæc fortes, olim meliora ſequentur,
Differt ſæpe Deus bona, non tamen irritus auffert.
Nate Dei, tibi tanta Deo permiſſa poteſtas
Tartareos in vincla hoſtes petere, omnia ſecum
Vertere mole ſua, lethumq́3 abſumere letho,
Et ruere excidijs Orcum, atq́3 abducere prædas,

 Et manes

Et manes dicto elicere omnipotente ſepulcris,
Viſceribusq́; iterum vegetam vim ferre reſumtis.
Ingredere ô tantos, iam fas, iam tempus, honores
Chriſte viam accelerans per mille coloribus arcum,
Et vitam ſub ſole nouo melioribus affer
Auſpicijs, & quæ fuerit nunquam obuia morti.
Te nuptæ nunc fata vocant inſtantia, & ad te
Mæſta ſuam defert cauſſam, atq; incommoda rerum,
Cui nuſquam fuga tuta ſuper, nec tegmina. Te nunc
Europæ tenues poſcunt res, quam fera circùm
Tela premunt, & falcato qui rem gerit enſe
Teutoniæ clades iterum imminet hoſtis Eöus.
Nos verò in pœnis ſtupidi fatalibus, arma,
Atq; animũ abijcimus, nec cõtra accingimur; ô gens
Infelix, quam nec virtus, nec frigida bello
Dextra ducum, ſed ſeruabunt lacrymæq́;, precesq́;,
Si fas ſeruari modò, quos ne prodiga neruis
Omnibus ipſa ſalus poſſet ſeruare labantes.
Luctatur iam noſtra ſalus, diſcrimine lethi
Diſsita non magno: nam cardo arreptus, & aptum
Tempus, in hanc oram armatis volitare maniplis,
Seu iam fata ferunt ſic noſtra, aut regis iniquo
Marte laceſsitus parat has irrumpere terras.
Sed fidei ſocij, qui propugnacula nobis
Antè dabant, primis obiecti in curſibus hoſtis,
Omni præſidij ſpe deſtituuntur, & armis.
His verò amiſsis, (ô tantùm hanc tollite labem,

Et probi-

Et prohibete nefas proceres;) ampliſſima, credo,
Regna, fide in veſtra retinebitis? heu mihi, fruſtra
Ornamenta togæ, & neruos in pace requiret
Teutona gens, iam exuta ſuo velut obice ad hoſtes.
Quòd ſi cui virtus animo eſt, nec victa receſſit
Armorum laus iſta prior: iam fœderis eſto
Quiſq; ſui memor, & patrum facta ampla referto.
Si qua infelicis patriæ ſtat gratia, ſi qua
Cura pijs animis diuini iuris inhæret,
Si reſtare aliquam experti ſpem ſcitis in armis;
Tunc omnis furijs ſurgat Germania iuſtis,
Vnà omnes in Martem exite, & cogite vires
Vim contra, arma armis opponite, ſignaq; ſignis,
Pectora pectoribus: mortalem cernitis hoſtem
Mortales, ſunt &, ſunt illi funera, & illi
Ad veſtrum vulnus ſanguiſq;, animuſq; ſequuntur;
Et cauſſa in vobis vim ſuſcitat, & Deus hâc ſtat.
Ferte igitur, ferte arma, iugumq; elidite veſtrum
Quâ datur; at vobis prior inferat arma, cauete,
Quæq; diu ex bello macula eſt ſuſcepta priori,
Et penitus veſtræ inſedit iam in nomine gentis,
Eluite, eluite, & virtute extinguite labem.
Tàm magnum in robur tumidum caput extulit (hoſtis
Deſidia veſtra, ne ſe iam limite fido,
Aut latebris Aſiæ occultet, ſed vertere clara
Europæ ſe in luce cupit, rerumq; potiri,
Res rapere, arua iugo premere, atq; auertere florem
Gentis,

Gentis, & æratis inducere torquibus artus,
Sufficere ad remos verſandos in ſale magno,
Caſtigare moram, & tergo increpitare flagellum,
Et ſolam Cererem, atq; Achelöia fundere pocla.
Si laudem meruêre, ſuis qui fortibus armis
Imperium peperêre, ſuo qui ſanguine fuſo:
An venia his dabitur qui partum in pace relinquunt?
Sic rem geſſerunt, belli vt ſimulacra cierent,
Non bellum, non vlla illinc inſignia palmæ,
Ne dum palmam ipſam vellent ex hoſte referre,
In pedibus iacerent, non dextra audente ſalutem,
Quid moror, imbelle eſt bellum, vt ſine lumine lucus.
Sed quid ego hæc autem nequicquam amiſſa requiro,
Nec dictis hanc prætereo, quæ maxima labes
Ad gentes alias peruaſit, vbi iſta reſedit
Fama prior, quæ tot ſocios, tot terruit hoſtes.
Tu potius cœlo hanc cladem miſeratus ab alto
Aſpice res noſtras Chriſte, & fer pectus in hoſtem
Tam validũ; Non Marte hominum ſcit talis agi res.
Parce tuum ſaltem ob decus, et tege ſemina quædam
Sancta tui generis. Spes tu nunc vna relictis,
Non alia arma viris quærenda in viribus vllis;
Signa moue, & fer tela prior, prius horrida in arma
Quàm ſeſe trepida vi colligat, agminaq; vltrò
Admoueat, Martemq; acuat: miſerere redemti
Mancipij; miſerere tui gregis optime paſtor,
Natorum miſerere Pater: quos nominis huius,

Vel decoris iam deinde tui, vel ſanguinis olim
Effuſi cauſa terram inter, & aſtra, reſerues.
Viciſti mundum, & victum ſe ſternere plantas
Ante tuas vidêre, tuo eſt ſub numine mundus,
Mors, Erebi cum rege, tibi eſt ius omne per omnes.
At quia victor ouans ſpolijs Acheronte receptis
Per mundum inuectus iam nunc pro curribus aureis
Fert iter in Verbo, & præconum voce vocatis
Dona ſua hîc vltrò proprios largitur in vſus,
Dona fide excipiant ſaltem, & ſine felle reſeruent
Dulcibus in libis operati, & pectore puro:
Tunc agite, & qui læta ferunt hæc nuncia vobis
Excipite ô læti, & date munera læta per aram.

IN RESVRRECTIONEM Domini.

POST varios tandem caſus, lethiq; labores
Excitus è ſomno referor vitalibus auris,
(Per Vatem Helciaden Chriſtus ſua fata canebat)
Et ſopor hic dulcis vita mihi dulcior ipſa eſt,
Morte mea humano generi dum conſulo, & ipſi
Sanguine iter facio, & tranſcribo limen Olympi.
Et nunc magna meam pertentant gaudia mentem,
Quòd non incaßùm fuſus mortalibus ægris
Ille cruor cecidit, quia dura morte redemi
Mortalem vitam, meaq; illis pœna ſaluti eſt.

Hoc cecinit Vates, docuit pòſt exitus ingens,
Cùm radijs claræ reſplendens lucis ad auras
Emicat, & prædam victor longo ordine ducit,
Addens tela quibus Stygios ſpoliauerat hoſtes,
In truncis titulos, inimicaq́; nomina figens.
Hic morti moriens animam abſtulit: ipſe barathro
Peſtis atrox: ipſe eſt Serpenti triſte venenum.
Pendula Lex fertur tranſuerſo robore trunci,
Index quòd precium noſtra pro labe ſolutum eſt.
Et vinctum pòſt terga manus nigrum agmē Auerni
Ducitur expoſitum ſpectantibus orbe theatri
In medio, caſſum ſolito iam robore, & armis,
Omine quo ſciret pia gens, ſe numine Chriſti
Defenſam contrà arma dari, quæ ſuſcitat Orcus,
Cùm ſe fortè fuga recipit ſub principis alas,
Victoris mundi, mortiſq́;, Erebiq́; potentis.
Nam quid Pellæi iuuenis tot rapta trophæa
Deuicto penè Orbe? tui quid Magne triumphi?
Et, cuius Pœnos etiam ingemuiſſe leones
Interitum dicunt, tua quid victoria Iuli
Tot ſpolijs fœcunda, tot hoſtibus ampla ſubactis?
Si palmam hanc ſpectes, Chriſtiq́; inſignia ouantis;
Fluxa tui iam conciderit tibi gloria Martis.
Hic ſacrum inſtituit, quo crimina noſtra piauit
Antè Patrem, & priſci renouauit fœdus amoris
Sanguine depoſito, cæcam quo deinde lituram
Induxit culpæ, nē clara antè ora Tonantis

Se porrò

Se porrò ferat, & ſopitam exuſcitet iram.
Quaq; tenebatur reus, & cui debitor eſſet
Quilibet ex nobis, penitus iam inducta tabella eſt,
Et cautas transfixa notas, & pondere caſſa.
Inde pedem referens tumulo, iam luce coruſcus,
Victorem culpæ ſeſe declarat, & Orbis,
Qui mortis fregit ſtimulos, ipſamq; triumpho
Hauſit ouans, nexuſq; omnes, & vincula rupit
Inferni ductoris, & ipſum in vincla redegit
Suppoſitum pedibus, exutum fortibus armis.
Nobis, iuſticiam reditu acquiſiuit ouanti,
Quem pignus dedit eſſe ratum, fore tempus, vt olim
Noſtra quoq; ætherias reuocentur corpora ad auras
Splendida luce noua, purgata à ſorde priori.
Huius ope exciti ſenſus, animumq; volentem,
Sorte noua, vitæ moliri exordia fas eſt,
Factaq; ad exemplar diæ componere mentis,
Et ſtudio ardenti cæleſtem ediſcere vocem,
Amplectiq; fide, nitiq; in tempore duro.
Hoc curru inuectus ducis nunc Chriſte triumphos,
Hoc curru nos alta vehis ſuper aſtra beatos,
Conſorteſq; facis vitæ, partiq; triumphi.
Hæc niſi ſubueniat tibi vox, atq; alleuet ægrum;
Nil poterit currus Phaëtontis, & ala Platonis,
Nil pons Romanus, rectà qui ducit ad Ortum.
Accipite ergo animis vocem, et reuerenter habete
Præcones vocis, tacita quam mente Parentis

Orator Patris ipſe tulit, ſparſitq; per Orbem,
Pro qua vota dedit Patri, ſine ſorde, ſine omni
Fermento puram, & liquidam per ſecula ſeruet.
Ergò etſi innumeras educit Turca phalanges,
Et trepidum æratis inſternit claßibus Iſtrum,
Doctorum & furijs accenſa pericula creſcunt:
Extingui penitus ſua iuſſa, patiq; ruinam
Haud tamen ille ſinet ſummi moderator Olympi;
Sed ſuberunt cœtus, & regna immota manebunt,
Si ſuberit pietas, & ſacra immota manebunt.

AGON CHRISTI.

NImirum hos nobis caſus, hæc fata canebat
Chriſte tua, & Solyma luctus ſuper vrbe futu-
Sacharias vates; docuit pòſt exitus ingens (ros
Cùm turba aſpiceret rorantem ſanguine, & vnda
Tranſuerſo in ligno, plantasq;, & vtrosq; lacertos
Diſtentum, & magna Patrem cum voce vocantem,
Ne verò Deus, alme Deus, ne deſice Nato,
Deſertus ne adeò tibi, nec mea vulnera curas,
Nil noſtri miſerêre, mori ſed deniq; cogis?
Et nati caſum hunc oculis Pater aſpicis æquis?
Omnia compleui, id rebus nunc defuit vnum,
Fata vocant, eia extremum Pater excipe flatum.
Tum verò Solymam incendebant luctibus vrbem
Matres atq; viri: reſonabat planctibus æther:

Non

Non aliter quàm cùm duri in certamine Martis
Ioſias triſtem oppeteret de vulnere mortem
Inter & Adremmon, tuaq; inter rura Megiddon.
Flebant ingentem, atq; ingenti vulnere victum:
Lamentis, gemituq;, & fœmineo vlulatu
Caſtra fremunt, ſcindunt veſtes, laniantq; capillos.

Hic verò exuperat dolor, & longè altior exit,
Dum cauſſas iræ ingentes in crimina noſtra
Mente agitant, iræ, quæ tàm caput extulit altè,
Vt mortem nati vnigenæ precium eſſe reatus
Ipſe pater vellet, nulloq; à ſanguine ſacro
Placari, niſi Chriſte tuo; quo deniq; fuſo
Iuſtitiam ille ſuam, rigidam, immotamq; per æuum
Expleri cuperet, factisq;, & morte rependi
Debita neglectæ, natiq; cruore redemtos
Non alio precio Deus inferiore volebat.

Quin agite, ac altè perpendite, quàm dolor ingens
Tentauit Dominum, & luctam cum corde peregit
Vt ſeſe abiectum vocat, & ſine luce relictum.
Stabat acerbà gemens mater, ſoror additur vnà
Spectatrix fati, tantarum & conſcia rerum
Corda gerunt, norunt quid agatur funere in illo
Languentes deſiderio pro ſorte futura,
Et Nati reditus, expectatosq; triumphos
Attonitis inhiant animis, certamq; ſecant ſpem:
Imo in corde tamen tantus dolor æſtuat illis,

Penè omnis fidei ſcintilla vt victa fatiſcat.
Quin & mœſta ſuum oſtendit Natura dolorem
Extincto genitore ſuo; Sol ordine verſo
Officium mundo negat, & ſua ſubtrahit ora
Datq; animum in luctus; & tanti conſcia fati
Terra tremit, rumpitq; ſinus, & murmure triſti
Pertentat mundum, penitus vi deinde dehiſcens
Inferaas aperit ſedes, & functa ſepulcris
Corpora ſancta patrum deſuetam emittit ad auram.
Non equidem hæc ſine mente Dei, ſine numine fiunt,
Dum nos ira Dei doceat pro labe dolere,
Quam non admiſſam dum tu pie Chriſte luebas,
Aſpera ſaxa tuo doluerunt fiſſa dolore;
Nos ſaxis gerere his corda aſperiora, nefandum eſt.
Sed iuuat hanc propius fatalem inquirere luctũ,
Qua primùm iratus Pater, & Lex ardua Patris,
Culpaq; mortalis, tortorq; immanis Auerni,
Fœdaq; Mors dirum intendens lethaliter ictum
Se Chriſto obijciunt hoſtes, præſensq; minantur
Exitium: huic triſti correpunt membra pauore,
Sanguineusq; fluit toto de corpore ſudor.
Nox erat, & terras animantia feſſa per omnes
Depoſitis curis reparabant membra quiete:
Ecce Dei natus ſeſe nocturnus agebat
Cydronis ad riuum. & mortis iam fata propinqua
Voluebat, ſanctoq; viam ſermone leuabat,
Palantes ſocij fuſo vt ductore ferentur

In diuerſa viæ, cœtu, numeroq; ſoluto,
Quos victor ſuperas vt primùm ſurget ad auras,
Agmine compoſito coget Galilæa per arua:
Atq; ita Sachariæ Vatis prædicta recenſet.
Ventum erat ad pingui conſertum Pallade mon-
Sub cuius radice virens ſeſe extulit hortus (tem,
Delitias Domini, qua luce & nocte precatum
Aſsiduè veniebat: ibi hunc pro tegmine inibat,
Nam nec quá poſito ferret ſe vertice habebat.
Omen ineſt rebus; ſi læta Pallade fœtum
Intramus montem, mentiq; à crimine pax eſt,
Et flatus ſacer, ipſum oleum quod pectora ſanat,
Fulcit ope infirmos: tum rectis vota feruntur
Paſsibus, & cœli nubes, & ſidera tranant.
Intereà ſocios octo in conualle relinquit
Anxius, ipſe tribus graditur comitatus in hortum,
Qui rutilos vultus, diuini ſigna decoris,
Spectârant in monte ſacro, nunc ſortis eoſdem
Afflictæ teſtes, & vilis imaginis optat.
Ergò horti in medio ingreditur ſua triſtia fata,
Sicut Adam in riguo quondam nos perdidit horto.
Multa ſed hic paſſus, dum patris ſuſtinet iram,
Irarum & fluctus in ſeſe tranſtulit omnes.
Nanq; quieſcenti ſimilis, penituſq; latenti
Maieſtas Verbi diam non exeruit vim
Ad tempus, preſsiſq; latens ſeſe abdidit armis.
Hinc iræ ſenſu, & noſtræ præ pondere culpæ

Soluitur in luctus, & mens formidine triſti
Contrahitur,promtamq; animâ caro ſtrangulat ægra,
Genua labant, & corde cruor per membra repulſus
In guttas reſolutus abit; tum pectore ſenſus
Vertuntur varij, nec vim vitare poteſtas,
Cunctaturq; metu. lethumq; inſtare tremiſcit.
Occurrunt diræ facies, inimicaq; culpæ
Numina magna Dei: mors plurima obambulat artus,
Ora modis pallent miris.ſtant verba palato,
Arrectæq; horrore comæ, cor liquitur æſtu,
Intus & aßiduo curarum tunditur ictu,
Exterius quatit oſſa tremor, vigor omnis in auras
Exhalat, mors atra caua circumuolat vmbra.
Sternitur hinc toto proiectus corpore terræ
Deficiente animo: caſu tremit excita tellus,
Semianimesq; micant artus, collapſaq; membra.
Irarum hunc fluctus omnes, ceu magnus aquæ mons
Magna mole premunt; hic omnia ſuſtinet vnus
Crimina, ſuppliciumq; ſuo cum ſanguine pendit.
Continuò ad ſeſe ſocios vocat, atq; ita fatur:
In me omnis collapſa animæ vis,triſtis vbiq;
Luctus,vbiq; pauor, & plurima mortis imago
Quæ luctantem animam, nexoſq; reſolueret artus,
Nî vires ſors omnipotens daret, abditaq; intus
Stirps mihi mortalem ſuſtentet diua figuram.
Sed vos qui mecum caſus manſiſtis in omnes,
Durate, & ne me, ne in tanta pericula miſſum

Linquite me ſolum, aut veſtros ſubducite vultus,
Orandum eſt, ne ſollicitis ſpes excidat omnis
Tentatura animum vobis, capturaq́; mentes.
Qui miſer eſt, non ille hominum conſortia vitet,
Damna feret leuius fido quæ credit amico.
Hæc effatus, & in verbo veſtigia vertens
Euolat à ſocijs, & flexo poplite fertur
Ad terram, fundensq́; preces terræ adplicat ora,
Tales inde ſuo rumpebat pectore queſtus:
Eripe me genitor, finemq́; impone labori,
Ærumnæ exhauſtum ſatis eſt; quin protinus aufer,
Si fas eſt genitor, quæ deinde pericula reſtant.
Ipſe dehinc ab humo ſurgit, ſociosq́; reuiſit,
Et Petrum aggreditur, qui fortè ingentia membra
Fuſus humi, toto proflabat pectore ſomnum;
Petre, refert, potes hoc ſub caſu ducere ſomnos,
Non agere excubias noctem non amplius vnam?
Non hoc iſta ſibi poſcit nunc ſomnia tempus,
Cernis quæ miſerum circunſtet turba malorum?
At non ipſe animi infelix, non lumine ſomnos
Accipio, ingeminant curæ, rurſusq́; reſurgens
Ira Dei immeritum torquet: nec plura locutus
Defecit luctu, & terram prono ore momordit.
Atq́; illi in media lucta celer Ales ab alto
Occurrit cœlo, & dictis mœſtum erigit vltrò.
Nec mora, nec requies, rurſum velut agmine facto
Mors audet cum gente Erebi, nigroq́; Tyranno

 In

In Chriſtum glomerare manum, & concurrere bello.
Verus at Iſraël lucta congreſſus acerba
Stat mole oppoſita, & manet indeiectus ad iram
Horribilem patris ætherei, vincitq́ precando,
Fidendo & victor ſpolia ampla ex hoſte reportat.
Quis potis eſt tantam pollenti pectore luctam
Fingere pro rerum grauitate, & pondere facti?
Mortis amariciem ſaltem contingimus ipſi
Labrorum tenus, ille omnem perpotat abundè.
At guttæ indicium fecerunt triſte doloris,
Sanguineæ guttæ, monumenta ingentia luctæ,
Ingentis luctæ, qua demum victor ad auras
Euaſit ſuperas, quanquam cor tabuit hauſto
Humore, aut teſtæ arentis, vel graminis inſtar.
Vtq́ reuerſus erat, ſomno videt ecce ſepultos
Denuò, & alloquitur: Nam quæ vos tanta reſoluit
Deinde quies, tanta rerum iam inſtante ruina.
Turbine correptus quando ferar ad vada lethi?
Surgite, & hic mecum votis pia nectite vota,
Et procumbite humi proſtrati, & tendite palmas,
Hoſtis adeſt, eia, date vota, & fidite verbo,
Neu vinclis trepidate meis, ego victor Auernum
Eruam. & æqua ſolo fumantia tartara ponam.
Tertia lux ſimul os terris oſtendet honeſtum
Ingentes ſtygiæ ſpectabit cædis aceruos.
Fidite ne pedibus, quanquam facienda per hoſtes
Eſt via, & excipient manibus, atq́ in trabe figent,

Non

Non omnis conſumta ſalus, victoria reſtat,
Arma parate animis. & ſpe deducite bellum.
O ſate Patre Deo, qui iuſtam in crimina pœnam
In te vertiſti, nos vt clementia rurſus
Excipiat, faueatq́ reis, iramq́ parentis
Supplicibus ſuperas votis, tuaq́ alta trophæa
Noſtra facis: medio tu feßis turbine lethi
Affulge, vt tenebris nigreſcere ſingula circum
Incipiunt, conditq́ natantia lumina ſomnus.
Aſpera tu pro me ſuccede in prælia lethi;
Viciſti mortem, & victam ſine acumine teli
Vlterius vidére, tua eſt victoria mortis.

IN PASCHATE.

VIm ſummã ad luctus habet ægro in corde leuãdos
Chriſte tuus reditus de morte in luminis auras.
Ille ſuo nobis affert ex munere cauſſam
Vt repetant animæ ſociam poſt funera maſſam.
Tu noſtrum caput es, te nos ceu membra ſequemur,
Cùm tua vox, clangorq́ tubæ reuocabit ab vrnis
Humanum genus, & Deus omnem reſtituet rem.
Afferrine poteſt maior ſedatio luctus,
Quàm quæ nixa ſuper tali fundamine perſtat?
Nam quanquam cumulum tot dicta leuantia in vnum
Cõgeris, vnde animos à triſti abducere ſenſu,
Ac in ſpem rurſus meliorem attollere poßis:

Non æquè tamen vlla leuat ſententia curas,
Quàm quæ promittit reditum de morte ſub auras,
Vnum omnis curæ portum, ærumnæq́; leuamen,
Quando cauis latebris exciti ad lumina Solis,
Ac ad concilium cœli in regione coactum
Iam necis immunes, vacuiq́; dolore feremur,
Omniaq́; implebit vota, & ſua pignora reddet
Cuiq́; Deus, facietq́; ex omni parte beatos.
Nunc, dum verſamur luteo hoc in carcere, nobis
It pœna à tergo comes, & ſcelus antè: nec vnquam
Lucta animæ, & carnis facit interualla quietis.
Hinc labor, & fati vis, corpora noſtra reſoluit,
Inq́; locum redeunt vnde emersêre, nec vllis
Longa mora eſt rebus, ſed quicquid in Orbe creatũ,
Aut opere, atq; manu factum eſt, id conficit ætas.
Quàm genus infelix, hominum genus eſſet, &
Omnes ad caſus obiectum duceret auras, (*vnum*
Nî ſpes certa ſtatus melioris corda teneret,
Mulceretq́; animos venturi fructibus æuj.
Vita labor, mors eſt requies, lux ſumma triumphus,
Cùm premet impoſito pede Mortem, et quicquid acer-
Antè fuit, ſenſu Chriſtus mutabit opimo, (*bum*
Inq́; ſolo exuuijs veteri cum labe relictis
Oſſa nouæ afficiet rurſum obſita carnis amictu,
Inſignes habitus clari ſimulantia Solis.
SED ceu pacem animis affert, & certa miniſtrat
Lætitiæ argumenta pijs, doctrina reſultans

Ex

Ex reditu bone Chriſte tuo, (quia firmat aperto
Pignore, quòd lethi ſit vis abſumta triumpho,
Et tritus Serpens, & labes paſſa lituram,
Excidioq́; datæ ſedes pallentis Auernj;)
Sic mundi ſpecies rediens velut acta ſub orbem
Tempore quo Chriſtus terra caput extulit almum,
Præ ſe lætitiam fert, & nos allicit æquè
Iucundum ad ſenſum capiendum, atq́; ore mouendum
Carmen, ab exemplo volucrum,ſua guttura blandis
Soluentûm numeris ſub opacæ tegmine frondis.
Et nunc ridet humus variorum examine florum,
Ac oculis noſtris ſpeciem proponit amœnam,
Læta ſui domini reditu, cùm ſqualida rupto
Antè ſinu mœſtàm audita eſt expromere vocem,
Et ſtrepitu incuſare nefas, motuq́; tremendo
Obniti contrà, & populis intendere hiatum.
Sol, dudum nitidam texit ferrugine frontem,
Et nox orta die tulit ægrè fata magiſtrj.
Nunc radios circùm caput applicat omne micantes,
Victoriq́; facem præfert, & nubila differt;
Et ſua dant operam rectori texta reuerſo.

ERGO mihi,et vobis ſtimulũ ad communia ſub-
Gaudia,res amplas anguſto in carmine pandã, (dens
Et tua, (tantùm animo calor incidat æthere ab alto;)
Chriſte trophæa canã,et ſupera ad cõuexa regreſſum,
Qui vita functis dat cauſſam,vt rurſus ad auras
Se tollant ab humo cœleſti luce recepta.

Victus amore hominum ſeſe de ſede paterna
Filius in terras demiſit, & æditus Orbi
Mortales auras hauſit, quem regia virgo
Numinis afflantis ſancta concepit ab aura.
Naturæ & noſtræ conſors iam factus, (vt antè
Aeterno Patri ſemper,) mortalibus ægris,
Qui per triſte nefas lethi ſub iure tenentur,
Per fas ipſe ſuum, cùm non ſit iuſtior alter,
Rurſum autor vitæ fit, perfectorq; ſalutis.
Is dat ſe in medium inter nos, interq; parentem,
Qui legem iuſtis æquauit partibus vnus,
Et pœnæ ſeſe obiecit morti obuius vltrò.
Sed non contraxit proauitam ab origine labem,
Quam generator Adam natos transfudit in omnes:
Conſcius & facti nullius, facta piauit
Noſtra nece, exceptus ſcelere, inſidijsq; ſuorum.
SED fuit in fatis, vitam vt per vulnera fundat,
Reddaturq; auris, luciq;, dolore ſoluto
Mortis, vbi id nullo poſſet contingere pacto
Vt morte oppreſſus, mortiſue doloribus vllis
In cinerem reſolutus eat, maneatq; ſub vmbris
Cui duplex genus in perſonam venerat vnam.
Nam ſi frigida mors anima ſeduxerat artus;
Non anima, aut artus tamen vnquam à numine viuo
Seducti, nexum, & fœdus rupêre perenne.
Quare reſtitui ad lumen vitale neceſſe eſt
Hunc talem, & tantum, cui ſtirps eſt altera victrix
Mortis,

Mortis, & in vinclum coijt ſtirps altera, victa
Morte quidem, ſed non ſtirpe à victrice ſoluta.
Ergo hominum cauſſam & naturam is ſuſcipit vl-
Seq́ reum humanæ ſupponit nomine gentis, (trò,
Ponere qui poſſet vitam, & ſibi reddere vitam.
Quin, pater omnipotens ea fata canebat in horto,
Quòd pede proſubiget caput anguis, et improbus an-
Nō caput, aut cor edet. ſed tātùm mordicus imā (guis
Arripiet plantam: tulit ergo ex morte triumphum,
In ſe reſtituens integra ad ſemina rurſus
Naturam humanam, cui ſors mortalis ademta eſt,
Huius vt officio reddatur vita, nouumq́
Iuſticiæ lumen; ſi tantùm munera parta
Amplexi gratis animis admittimus vltrò.
Hic Orcum excidio dedit, & fera vincla reuulſit
Nos quibus addictos ſibi degener Ales habebat,
Et lethi eduxit de carcere candida patrum
Agmina; dehinc alijs ſua lumina morte recluſit.
Vidiſſes conferre latus, dare mutua dicta
De ſorte humani generis, quæ peſſima ſors eſt,
Et Chriſti merita ad cœlos extollere verbis.
Hic primum illius ſe conſuetudinis inſtar,
Qnam ſede in ſupera melior gens omnis habebit,
Obtulerat: ver illud erat, ver nobile mundj,
Quod ceu flore nouo oſtendit quàm ſplendida fruges
Expectanda pijs ſit vitæ in ſorte futuræ.
SED voluit terris ſubſiſtere, & obuia ferre

Ora

Ora ſuis ſocijs, vt tali pignore, tali
Conſtituat ratione fidem, quòd corpore vero
Ad lucem exierit, nec labilis vmbra vagetur.
Vnde ſuam geſtat diuino numine carnem,
Ipſius vt maſſæ gens inſita, viuat in ipſa,
Et res ædantur ſimiles in gente ſacrata,
Quales in propriæ peragit compagine maſſæ.
Nanq; ſuam, & noſtram communi Flamine maſſam
Omnipotens Verbum de morte reducit in auras,
Incolit & claro colluſtrans lumine vtranq;.
Quòd niſi tunc de morte pedẽ retuliſſet ad auras:
Nobis mors Chriſti nulla emolumenta paraſſet.
Sed retulit, fecitq; fidem pœnam eſſe ſolutam
Quam nos debuimus Legi: necis ergo poteſtas
Iam caſſa effecta eſt, ſi pro lue pœna ſoluta eſt:
Iam mors eſt ſomnus breuis, olim pœna perennis.
Ergo fuit tali perſonæ reddita vita,
Vt vita humano generi reddatur in ipſa,
Perq; ipſam in vitæ lucem de morte vocemur.
Nam ſi vi ſupera Chriſti ſe maſſa ſub auras
Erigit, abiecta quæ morti obnoxia ſors eſt:
Nos conſors maſſa, & capiti connexa ſupremo
Non dubitante Fide, euentum experiemur eundem:
Nec carnem de carne ſua, deq; oſſibus oſſa
Sub tumulis linquet, ſed ſecum in luminis oras
Reddet, & ex ipſo vitam inſitione trahemus,
Surculus vt viuos deducit ab arbore ſuccos.

Spem

Spem trahite hinc rebus feßis, & ponite curas;
Victor ouans etenim vitam per ſecula ducit,
Vt gerat imperij cœleſtia frena potentis.
Doctrinæ officium foris omni à clade reſeruat,
Vim ſtygiam à ſacri cœtus ceruice repellit;
Noticiam accendit Patris intus lumine Verbi,
Igne ſacro adiungit pia corda Patriq́, ſibiq́,
Iuſtitiamq́ Deo ſimilem molitur in ipſis.
HOS verò fructus, alienaq́ munera rerum
Apta ſibi facit alma Fides, & nititur illis,
Cùm dolor affertur menti pro turpibus auſis,
Tædiaq́ admonitu ſcelerum trahit, atq́ ſiniſtros
Deponit mores, errataq́; ſeq́ viciſsim
Ad frugem recipit meliorem. & vindice cura
Dat virtuti operam, & quod fas eſt, ſpectat agendo.
Semper in hunc dominũ rediuiuum, & frena te-
Spem, mentisq́ oculos defige, & pectore toto (nentẽ
Accipe, ſicq́ animo ducas, quòd gratia rurſum
Huius ab officio tibi parta eſt, tuq́ voceris
In partem regni, atq́ æternæ fœdera vitæ.
Intereà in nobis vires molitur, & audit
Vota pia, & mulcet prece læſi corda parentis,
Et fert ſubſidium maſſæ, ſibi ſanguine iunctæ,
Quam ſecum cœli conſorte in honore reponet.
Felices animæ, quæ Chriſti munera prẽdunt
Non dubitante Fide, qua ſola ſidera adimus.
Illa peſtem Erebi cunctam, & tela horrida mortis
Supponunt

Supponunt pedibus, vitaq́ à fine, perennem
Incipiunt, atq; hoc compenſant fœnore funus.

VOS ergo iuuenes, quibus artes diſcere curæ eſt,
Victori Chriſto linguisq́, animisq́ fauete,
Neu fremitu & dictis illudite ſacra ferentes:
Diuina à tergo ſequitur vindicta nocentes:
Et nil tàm miſeros reddit, quàm lingua profana.
Fama eſt, quòd tortæ metuendus acumine caudæ
Scorpius inſignem letho dedit Oriona.
Accidit hæc etiam fortuna colentibus artes:
Os aliquod fœdum, & detractio plena venenj
Facta, ac dicta virûm benè de pietate merentûm
Carpit, & antè diem miſeris vitam eripit vltrò.
Nam ſonus ille ferox, ſtudium reſtinguit, & omnes
Affligit dotes horum quibus integra mens eſt,
Corpus vt abducant à luce, manusq́ remittant,
Resq́ gerant nullas, atq́ alta ſilentia ducant,
Permittantq́ rudes furialem mittere vocem.

Sed tandem pleno teſtabitur ore per vmbras
Turba tenax falſi, quòd ſtent oracula Chriſtj,
Lubrica ſint hominum commenta, & caſſa ſalute.
Regnet amor veri, & pacem ſpectate docentes,
Candida pax Chriſti ſeruos decet, ira Sophiſtas.
Omnibus hæc vitanda modis, ac illa ſequenda eſt,
Vnde ſalus Orbi conſtet, ſed gloria Chriſto.

IN

IN DIE VISITATIONIS Mariæ.

HOc ſuperũ cœli quàm magnũ eſt Numen, id omne
Eſt amor, inq; hominũ genus inſatiabilis ardor,
Et natura creans hominem, & complexa creatum
Progeniem ob caram, quæ lux, & imago Parentis
Humana ætherea ſociauit viſcera ſtirpj.
At verò manifeſtus amor Patris æthere ab alto
Bis magnis operum factis, geminoq; labore
Emicuit nobis, Et cum ratione potentem
Fingeret, atq; hominẽ propria ad ſimulacra crearet,
Et cum ſorte noua, Natiq; cruore redemtum
Aſſereret lapſum genus, in meliusq; referret.
Factus homo eſt, ratione potens, & corpore con-
Sanctior vt natura foret, propiorq; ſagacj (ſtans,
Mente Deo, cui viua ſuorum exempla bonorum,
Artificis quæ in mente vigent, atq; optima perſtant,
Inſerere, & dio transfundere ſemine poſſet,
In qua ſemper agat præſens, ſedesq; quietas
Incolat, his adytis gaudens, & fornice templj.
Hic amor eſt, vbi mens reſpondet imagine mentj,
Et ſenſus idem eſt, & factis conſonus ordo.
Non amor eſt illic, diuturnaq; fœdera vitæ,
Cùm variat natura, nec eſt ſine lite voluntas:
Ceu prona in ſobolem tendit pia flamma parentum
Parte ſui in ſobolem transfuſa, & imagine mentis.
Ergò hominem factum vero Deus ardet amore,

Quando-

Quandoquidem ipſe Deus vero ſeſe ardet amore,
Et quicunq; ſibi conformi mente feruntur.
Quare homines ardere Deum per mutua fas eſt,
Quale opus autorem, cauſſam res ædita, patrem
Progenies ſua, principium deducta propago.

Sed primùm has leges, alternaq; fœdera vitæ,
Hanc ſeriem, & ſancti commercia amoris vtrinq;,
Turbauit perſuaſus homo, ingratusq; ſalutis
Deflexit greſſus à Numine, & auius iuit,
Vnde illum Pater haud vltrà ſectatus amore eſt
Ipſe ſuo, infernoq; lacu, Stygiaq; palude
Exceptum, æterna Satanas ditione premebat.

Cùm medio veniens turbatam reſtituit rem
Filius, & ruptos concinnans denuò amores
In veterem conſenſum, & fœdera prima reduxit,
Compoſuitq; iterum diſcordia vota duorum.
Verùm opere in tanto patrij vis maior amoris
Emicuit, claraq; magis cum luce refulſit
Cura Dei maior, maioraq; ſigna fauoris,
Quàm quibus vſus erat prima tum in ſorte creandj.
Iram, iuſticiamq; Dei lenire rigentem,
Inflexam veniæ dare, ſtricto abducere iure,
Et res diuerſas ita cogere corpus in vnum;
Maius opus, maius, quàm cœlũ excudere, & vndas
Oceani, & terræ producere Dædala tempe.
Et nati ipſa quidem ſubmiſsio præſtita Patrj,

Dum

Dum ſupplex antè ora iacet, dum victima mundo
Cæditur, atq; vltrò letho caput obuius offert,
Exuperat mundi ſapiens opus, ipſaq; rerum
Natura admirans ad tanta exempla ſtupeſcit.
Ergò etiam ob caræ ſobolis deuictus amorem
Nos Pater ipſe ſuo ſuperûm dignatur amore,
Iuſticiam haud noſtram nobis dum accommodat vl-
Collapſæq; olim dum prima exordia ponit (trò,
Iuſticiæ, donat veniam, & pacem annuit vltrò,
Sed meritis nati ſancitam, & ſanguine ſacro,
Et Flatũ ipſius noſtra in præcordia fundit,
Qui vincli in morem nos ipſi conflat in vnum,
Qualis in humano cùm corpore diſsita membra
Aut ſpacio, aut ſpecie, poſituq;, vſuq; miniſtro,
Iuncta tamen viuunt communi fœdere vitæ,
Dum vegetas auras vitæ ſcaturigine eadem
Vno è corde trahunt, & ſumunt robur ab ipſo.
Nunc igitur talis ſibi redditus ordo viciſsim,
Vt verbo, & Flatu generatus denuò ad auras
Promtus homo leges, & dia faceſcere iuſſa
Incipiat iam ſorte noua, ſuauiq; refectus
Læticia vitam decurrat, & hæreat ipſi
Mente Deo, Natoq; Dei coniunctus in vnum,
Quos habitans Flatus idem deuincit vtrinq;.
Hæc ego vt in mentem reuocem, dictisq; recludã;
Admonet iſte dies, quo ſacro Flamine fœta
Virgo parens, & anus ſterilis, tandemq; ſuprema

Egregium Vatem Domino paritura ſenecta,
Congreſſus coluêre pios, & dicta dedêre
Concilium inter ſe tantis de rebus habentes,
Qualis ſors homini primo, iam tum Orbe creato,
Qui caſus mox horrifici, quæ pœna ſecuta
Excepit ſontem, & ſtirpis genus omne futuræ,
Quæ ſpes deinde illis reliqua, & fiducia vitæ
Seminis officio concepta vltrò alleuet ægros.

Talia dicta dabant primis conuentibus actis,
Et clara indicia in medium ſermone ferebant
Eruta de Vatum monumentis, orbe peracto
Temporis, aſſulgere diem quo Virginis aluo
Conceptus ſuperas iret Seruator in auras
Verus homo, verusq; Deus, qui ſanguine noſtrum
Mercatus genus, & ſub vincla redegit Auernum
Morte triumphata, & trito cum calcibus Angue,
Legeq; completa, & precio pro labe ſoluto.

Stabant orantes, & munera tanta canebant,
Quòd Pater ex alto miſeratus culmine cœli
Res populi afflictas, Natum demiſerit vltrò
Vt cum ſtirpe hominum paret irreſolubile fœdus,
Iuſtitiaq; ſua tegeret ſera crimina mundi
Inducens lucemq; nouam, propriumq; decorem.

Talia carminibus celebrant: ſimul abditus infans
Matre Dei laudante Deum tenera extulit oſſa
Aſſultu, motuq; pio ſua gaudia prodit,

Decernens Domino, quem nondum vidit, honorem.
Nenq́; pij motus tunc demum in pectore flagrant,
Cùm tu animo obſeruas, oculisúe, aut auribus hauris
Verba Dei, veraq́; fide ſubnixus inhæres.
Inſtat, adeſtq́; operi ſacer halitus, & pia ſufflat
Lumina, læticiam, vires, ſolatia menti.
Non ſine doctrina venit hic in pectora Flatus;
Diſce igitur, ſtudijsq́; pijs pia vota iuuato.
Et quia tempus adeſt quo deſignantur honores
Doctrina excultis, & honor ſuus excitat artes:
Qui ſe iudicio gaudent ſubmittere noſtro,
Progreſſusq́; probare ſuos, ſpecimenq́; laborum,
Illi ad me referant ſua nomina: quenq́; manebit
Ex merito decus, & virtuti debita palma.

CARMEN IN DIE *Viſitationis Mariæ.*

ANnua lux, cui fama ingens bipartita, quòd illa
Inter ſe coiêre nurus, & dicta dedere,
Heliſabe paritura Deo te maxime Vatum,
Et virgo paritura Deum te maxime Chriſte;
Inſtar habet ſancti cœtus, ludiq́; diſerti,
Ceu Mariæ pulcrum nomen, ſonat omine pulcro
Doctricem populi, quæ ſit præfecta ſcolarum,
Vna repræſentans gentem quàm magna piorum eſt,

Cuius perſonam gerit, & quam munere præſtat
Ipſa ſuo, numeroq́ refert, & ſorte puſilla.
Nam qualis Mariæ ſpecies abiecta iacebat
Ante pedes, poſita in tenebris, luctuq́ voluta:
Talis forma ſacri cœtus erat obuia paßim,
Non numero præſtans, nec honoribus aucta, nec altis
Obſita præſidijs, auróue decora, vel oſtro;
Sed depreſſa ſolo, & confligans rebus acerbis,
Non habita in claro decore, ima in parte locata,
Si cœtum ſpectes à relligione remotum
Qui res obtinuit Solymæ, & caput extulit altè
Fortunis melior, numeroq́ inſignis, & armis.

Prô ſcelus, ille etiam patrum temerarius ordo
Vittato in cœtu, procerumq́ examina tonſa,
Vſurpant titulum gentis quæ dedita Chriſto eſt,
Se cœtum clamant, caput, artificemq́ ſacrorum,
Vt Caiphas facit, & vitta circundatus Annas,
Præpoſiti ſacris, & Saducæa virûm gens,
Quosq́ animo elato facit obſeruantia Legis
Extera, nil intus ſolidæ integritatis habentes.

Haud ita, vos Druidæ, ſe res habet iſta, nec iſta
Concio veſtra patrum re vera eſt concio Chriſti:
Cùm ludi veſtri ſine Chriſto ad falſa ruentes
Numina, Spirituum potiùs cognata malorum
Concilia, & foricæ ſint, errorumq́ paleſtræ,

Lenonum

Lenonum ſtabula, & Saliorum examina nuda,
Sacraq́; Eleuſinæ matris, vera orgia Bachi,
Mancipia inferni, anfractus, ſupera oſtia Ditis.
Huc iter inſtituêre, fluuntq́; huc agmina plenis
Denſa vijs legioq́; virûm, ſtructæq́; phalanges
Huc numero ingenti, confertoq́; agmine tendunt,
Et celerant glomerare manum, in cœtumq́; ſubire,
Fit via vi, quâ nulla via eſt, aditum occupat vltrò
In caput, inq́; humeros reuoluta ſine ordine turba.

Intereà rara gens quædam accincta corona,
Parua cohors, numero exigui, ſine honore, ſine armis,
Inſignes pietate tamen, ſunt agmina Chriſti,
Vt, niſi cura Dei vel ſemina pauca bonorum
His vellet ſuperare locis: dudum omnia latè
Vaſta forent, penitusq́; ſacræ monumenta periſſent
Stirpis: in exemplum Sodomæ, quam flāma vorabat,
Vlta pudicitiam, & peruerſi crimen amoris.

Sed ceu parua manus, numeroq́;, & viribus im-
Turba vocabatur pendens à numine Chriſti, (par,
Abiades, conſorsq́; thori, cuſtosq́; puellæ
Creditus innuptæ, Simeonq́;, effœtaq́; ab annis
Anna Dei metuens, & quos obſcura recondit
Fama alios paucos, qui Vatum dicta piorum
De te nate Dei, meritisq́;, & munere parto
Iuſtitiæ, & vitæ poſt ſecla exacta futuræ,

 Fidis

Fidis ſuppoſuêre animis, nixiq́ fouebant,
Et ſæpè in celebri congreſſu, aut ſub lare fido
Vulgabant dictis, & longa in ſecla ferebant:
Sic rari apparent numero, quòd ſi quoq́ rari
Apparent vſquam, tamen eſt abiectior alga
Illorum numerus, quibus eſt fiducia recta
In Chriſto poſita, & fixo qui lumine Verbi
Notitiam ſumſêre Dei, cui publica vota,
Et priuata canunt, & nixi munere Chriſti
Hunc adeunt precibus, cœliq́ ita limina pulſant.
Atq́ hunc tantillum, & nullo cum robore fultum,
Spe caſſum quanquàm mortali, & viribus orbum,
Terrarum domini, atq́ impar congreſſus in armis
Sacrorum procerum chorus, hisq́ addicta caterua
Nata ad blanditias, & fictæ murmura linguæ,
Vrget atrox bello, & facibus ſectatur, & enſe,
Quales tunc aderant promiſſi Seminis hoſtes
Sacrorum præſes Caiphas, cautusq́ Pilatus,
Et ferus Herodes, & Saducæa caterua
Contemtrix prorſus ſuperûm, Phariſæaq́ turba.
Præterea gentes hac tempeſtate nefandæ,
Peſtes humani generis, queîs terra nec vnquam
Monſtra tulit peiora, Syri, Parthiq́ fugaces,
Diſcinctiq́ Arabes, & docolor accola Nili,
Romani & rerum domini, populusq́ reciſus
Sacra Dei abiurans, (vt ſemper acerbior hoſte
Omnis defector gentem inſectatur amicam,)

Orbe

Orbe vagabantur Solymo, ſæuamq; piorum
Stragem intentabant, matresq; ad furta trahebant,
ALBANVS quo more furit, furumq; maniplus
Heſperia eductus, Belgarum fulminat oris,
Et genere illuſtres animas, cum ſtirpe, domoq;
Obtruncat ferro, natasq; ante ora parentum
Inceſtans, rapto potitur, dirisq; hymenæis
Heu caſtis laribus facit inſanabile vulnus.
Et dux ipſe ſalax, Germani nominis hoſtis,
Herodem referens furto, ac immanibus auſis,
Quæſitor, tolli edicit ſacra pura profeſſos,
Et primos ſceptris, & florem, & lumina gentis
Infando indicio, & nullo diſcrimine mactat.
Ipſi nec gemitus tuti; gemitusq; putatur
Conſenſus nota; nec liber ſine vindice luctus,
Nec lacrymis pietas ſua, viſo funere amici,
Immunis plagæ eſt. Sed tu Marrane, creatus
Stirpe Saracenûm, recutita à gente reſultans,
Inſita Naturæ ſubuertis iura: piosq;
Ad pœnam affectus inflicto vulnere poſcis.
Te pedibus nexis ad cœlum, vertice verſo
Ad terram, informis lethi mox pœna manebit.
Ductores quoq; Teutoniæ, iam in iura referre
Romani Antiochi haud tacitis moliris in armis?
Et Latio auerſos proceres, vrente flagello
Afficere, & virgis concidere terga minaris?
Da Pater hoc noſtris aboleri dedecus armis.

Hæc vos probra duces auditis mentibus æquis?
Nec tantùm auditis, ſed & hoc ſpectare poteſtis
Muneris immemores veſtri, ſociûmq; ſalutis,
Vt nil Herculea à ſtatua, effigieq; Bathylli,
Et nexo Ioue, veſtra manus differre putetur?
Ite animis contrà, vel Saulem præſtet in armis,
Immanemue Diocletem, ſpurcumq; Neronem.
Tollite, ferte citi, rapite arma, inhibete furorem,
Claudite iter, capite, irruite, & præuertite euntem.
Quæ veſtras fractura gulas huc vincula portat,
Vertite in hunc: veſtrũ ſapere eſt, cùm pœna propin-
Ecquæ fibra micat memor & virtutis auitæ, (qua eſt.
Et libertatis patriæ? nunc coniugis eſto
Quiſq; ſuæ memor, & ſobolis, gentiſq; nepotum:
Quale iugum, qualis nox, quæ fraus impia noſtris
Horribili ſuper aſpectu ceruicibus inſtat?
Aut Turcam potius dominum experiamur, vt ipſi
Sit cenſus, pietas ſaltem ſit libera nobis.
O ſi Mauritium nobis nunc fata referrent,
Qualis erat cùm te noſtris tecta arma parantem
Carole, & in ſcopulis præruptis agmen agentem,
Fraude loci & captum, ſubitis præuerteret armis
Ocyor & ventis, & præpete fulminis ala.
Haud ille, haud tanto ceſſaret cardine rerum,
Cùm regna aſſerere, atq; vrbes captare liceret
Præſidio caſſas, & defenſoris egentes.
Haud ita Relligio canibus data præda Latinis
Sanguinis

Sanguinis euomeret riuos impunè calentes.
Exoriare aliquis cæſorum ex oſsibus vltor
Qui Latio infixum reſpergat ſanguine telum,
Et Papam Herculeas propellat ad vſq; columnas.
At nuruum flos ille ſacer, quas mollibus annis
Ante genas roſeo decorabat flore iuuentus,
Menſq; ſagax rerum, atq; annis induſtria maior,
Haud magnos latuit proceres, multiq; petebant
Egregia capti forma ſibi iungere nymphas;
Quas inter rerum excidia, & crudelia bella
Seruauit tamen, & præſenti numine texit
Cura Dei, iunctoſq; illis, qui mente tenebant
Doctrinæ formam, veterumq; oracula Vatum,
Relliquiæ Vatum, quorum de carmine lecto
Lenibant curas, & mœſtæ tedia vitæ.

TALIS forma ſacri cœtus, taliſq; diſertis
Conditio ludis hoc tempore perſtat in Orbe.
Nec cœtus noſtri ſtatus eſt diuerſus ab illis,
Qui tanto in rerum motu, furijſq; docentûm
Res ſacras aperit dictis, quòd miſſus Olympo eſt
Filius, & genitor ſe declarauerit Orbi.
NOS vocem aſſerimus Vatũ, monumẽtaq; Chriſti,
Et dictis horum erecti, perferre laborem
Non vllum horremus, ſed cum gemitu, lacrimiſq;
Imus in aduerſos, nexoſq; ad terga maniplos
Lætitia ferimus, magnaq; in mole laborum

 Speramus

Hæc vos probra duces auditis mentibus æquis?
Nec tantùm auditis, ſed & hoc ſpectare poteſtis
Muneris immemores veſtri, ſociûmq; ſalutis,
Vt nil Herculea à ſtatua, effigieq; Bathylli,
Et nexo Ioue, veſtra manus differre putetur?
Ite animis contrà, vel Saulem præſtet in armis,
Immanemúe Diocletem, ſpurcumq; Neronem.
Tollite, ferte citi, rapite arma, inhibete furorem,
Claudite iter, capite, irruite, & præuertite euntem.
Quæ veſtras fractura gulas huc vincula portat,
Vertite in hunc: veſtrū ſapere eſt, cùm pœna propin-
Ecquæ fibra micat memor & virtutis auitæ, (qua eſt.
Et libertatis patriæ? nunc coniugis eſto
Quiſq; ſuæ memor, & ſobolis, gentiſq; nepotum:
Quale iugum, qualis nox, quæ fraus impia noſtris
Horribili ſuper aſpectu ceruicibus inſtat?
Aut Turcam potius dominum experiamur, vt ipſi
Sit cenſus, pietas ſaltem ſit libera nobis.
O ſi Mauritium nobis nunc fata referrent,
Qualis erat cùm te noſtris tecta arma parantem
Carole, & in ſcopulis præruptis agmen agentem,
Fraude loci & captum, ſubitis præuerteret armis
Ocyor & ventis, & præpete fulminis ala.
Haud ille, haud tanto ceſſaret cardine rerum,
Cùm regna aſſerere, atq; vrbes captare liceret
Præſidio caſſas, & defenſoris egentes.
Haud ita Relligio canibus data præda Latinis

Sanguinis

Sanguinis euomeret riuos impunè calentes.
Exoriare aliquis cæſorum ex oßibus vltor
Qui Latio infixum reſpergat ſanguine telum,
Et Papam Herculeas propellat ad vſq; columnas.
At nuruum flos ille ſacer, quas mollibus annis
Ante genas roſeo decorabat flore iuuentus,
Mensq; ſagax rerum, atq; annis induſtria maior,
Haud magnos latuit proceres, multiq; petebant
Egregia capti forma ſibi iungere nymphas;
Quas inter rerum excidia, & crudelia bella.
Seruauit tamen, & præſenti numine texit
Cura Dei, iunctosq; illis, qui mente tenebant
Doctrinæ formam, veterumq; oracula Vatum,
Relliquiæ Vatum, quorum de carmine lecto
Lenibant curas, & mœſtæ tedia vitæ.

TALIS forma ſacri cœtus, talisq; diſertis
Conditio ludis hoc tempore perſtat in Orbe.
Nec cœtus noſtri ſtatus eſt diuerſus ab illis,
Qui tanto in rerum motu, furijsq; docentûm
Res ſacras aperit dictis, quòd miſſus Olympo eſt
Filius, & genitor ſe declarauerit Orbi.
NOS vocem aſſerimus Vatũ, monumẽtaq; Chriſti,
Et dictis horum erecti, perferre laborem
Non vllum horremus, ſed cum gemitu, lacrimisq;
Imus in aduerſos, nexosq; ad terga maniplos
Lætitia ferimus, magnaq; in mole laborum

 Speramus

Speramus facilemq́; Deum frugemq́; ſupremam,
Cùm tandem lacrymas, paßis tot acerba per Orbem
Abſterget Deus, & dulci penſabit amarum,
Triſtia, cum lætis, placida cum pace, laborem.
Ergo etiam ſimili noſtra agmina more teguntur,
Ceu gens cara Deo quondam inter Martia bella
Orbe Paleſtino tuta, atq; impunè quieta
Congreſſus coluit, ſuperûmq́; extendit honorem.
Cœtibus his ipſis educi ad ſacra neceſſe eſt
Officia, edoctos fandi diſcrimina, & artes,
Ne pia gens careat doctrinæ voce ſonante,
Per quam ſancta ſibi terris legit agmina Chriſtus.
Cumq́; ſacer cœtus ſocio ſit nexus amore,
In quo doctrinæ labor eſt communis, & ardor
Ille precum, & vicibus dantur ſolatia vitæ,
Quales Abiades, Simeonq́;, nurusq́; ſacratæ
Sermonum fecêre vices, communia vota,
Atq; alios alij docuerunt cœlica iuſſa,
Vana refutantes Phariſæi ſomnia ludi:
Haud ſecus ad ſimiles coniuncti accingimur artes
Concilijs habitis, & nos per mutua veris
Inſtruimus dictis, æternaq́; fulcra paramus
Ex Libani cedris, & ligno perpete vitæ.
NVNC quia de ſtudijs cenſuram ferre paramus,
Et dicta inter nos doctis de rebus habere:
Vos ad congreſſus inuito, meumq́; laborem
In veſtris pono gremijs, meq́; ipſe petenti

Offero,

Offero, ſi qui fortè velit laudum ampla referre,
Præmiaq́, & nomen deducere ab arte magiſtra.
Deniq́, ter ſancti repetamus carminis orſum,
Rectricemq́, chori Mariam nos voce ſequamur.
Nunc animæ vis viua meæ, fibræq́, micantes
Magne Deûm tibi magna canunt, tibi ſpiritus imis
Exultans venis, liquido modulamine in auras
Gaudet ab ore foras erumpere, teq́, ſalutis
Autorem noſtræ dignis extollere verbis.
Hic voluit noſtræ rationem ſortis habere,
Quàm miſera eſt etiam, viles qui prætulit altis,
Fortibus, infirmos, humiles, magna auſa profeßis.
Et quanquàm exiguæ vires, nulla arma ſuperſint,
Non decor, & ſplendor; tamen haud clementia cœlj
Verſa retrò eſt, nec mitem animum, mentemq́, benig-
Auertit: ſed iam diuino robore præſens (nam
Cœtibus in noſtris, per cari munia nati
Res magnas gerit, & magna vi ſeruat inermes,
Et ſpolia, & palmam ex validis dat ferre Tyrannis,
Queîs mentem eripiens confuſam, & callida vota
In ventos ſpargens, gradibus deturbat ab altis,
E contrà dictis mulcet, & mitia veris
Explet corda bonis, auido qui pectore ad auras
Iuſtitiam ſitiunt, & cœli pabula quærunt.
Deniq́, quòd cœlo miſerans incommoda noſtra,
Promißi memor, & magno contactus amore
Vnigenam nobis natum demiſit habendum.

Ah opifer, tu nate Dei, tu nunc quoq; partes
Reſpice ad exiguas, miſeris nec deſice rebus,
Quàm ſit noſtra, vides, tenuis ſors: agmina pauca
Dant operam rebus ſacris, pauciq; reperti
Laudes adſeruêre tuas cum vindice lingua.
Sed magnus numerus viget in tua ſacra furentum,
Turbantumq; locis ſtudio collecta fideli.
Quò magis vmbra pijs, & murus aheneus eſto,
Et ſuper extentis tua condas agmina ſcenis;
Cauſſa tua eſt, quæ ſi ſalua eſt, ſunt agmina ſalua.

IN ASCENSIONEM CHRISTI è terris in cælum.

POſtquàm res Erebi, mortisq; euertere regnum
Morte ſua viſum Chriſto, nouiesq; miniſtris
Se confeſſus erat, ſcandit iuga Pallade fœta
Bethaniæ, & dictis mœrentia pectora firmat.
Continuò ex oculis ſublatus corpore in auras
Mortales cœtus medio ſermone reliquit,
Nubis ab exemplo, quam gens Iudæa ſecuta eſt
Cùm quondam Ægypti fugeret crudelia regna,
Quæ cùm ſe poſuit noctu, tum caſtra quierunt
Compoſita, & cùm Sole nouo ſe rurſus in auras
Tolleret, ecce acies omnes ſe tollere campis,

Accingiq; vitæ, atq; iterum migrare neceſſe eſt.
Ergò etiam dum ſe aërias iam tollit ad auras
Dux olim Iſacidûm, nubes & præuia Chriſtus;
Signat adeſſe diem ſocijs quo corpora tollant,
Et varijs luſtrent diſtinctum gentibus orbem,
Et dent in medium cauſſamq;, modumq; ſalutis.
His & tunc ſignis rutilas ſubuectus in auras
Ingrediturq; polo, & caput inter nubila condit
Victor ouans, ſancta comitum adplaudente corona
Quos ſecum excitos conſorti reddidit auræ
Ad ſpecimen mortis victæ, vitæq; futuræ.
Sed nulli comites vllo ſunt lumine prenſi,
Ne fortè autores ſibi gens humana ſalutis
Audeat in damnis neglecto quærere Chriſto.
Panditur interea ſedes ampliſsima cælj,
Et belli ſignum Michaël ſuſpendit ab arce
Syderea, & raucis clangoribus impulit auras,
Effuſusq; ruit portis exercitus ales
Compoſiti numero in turmas, & præmia palmæ
Protendunt longè dextris, & carmina dictant,
Victoremq; Orbis, lethiq;, Erebiq; ſalutant,
Expleriq; animum nequeunt, gaudentq; tuendo.
Mirantur ſpolium, grauidumq; ex hoſtibus axem,
Mirantur pharetras, & truncum mortis acumen,
Atq; anguem ferro nexum per colla retorto.
Indulgent omnes operi, pars grandia trudunt
Obnixè carpenta humeris, pars vincula tendunt

Ære, & cornipedum vires hortantur equorum,
Et ſtimulis vrgent, & torto verbere curſus.
Ipſi quadrupedes niſu per maxima anhelo
Deſudant ſpacia, & gemitum dat pondere currus,
Non quali Heliam vectauit pondere ad auras
Nubila tranantem nigri cum turbinis vmbra.
At circùm innumeri iuuenes lucentibus alis
Accincti ſubeunt oneri, linguiſq; ſolutis
Sacra canunt, reducemq; manu contingere gaudent.
Ille ſubit, victi exuuias oneratus Auerni,
Vulneraq; illa gerens quæ propter crimina mundi
Accepit, patriasq; iras in crimina mundi.
Tum ſeſe inceſſu latus ad genitoris alumnus
Sublimem poſuit, poſitus quâ ſemper, & antè
Machina quàm mundi cepit digeſta figuram,
Sed maſſam humanam nunc ſede locauit Olympi,
Omniaq; impleuit vatum prædicta priorum.
Et ſi quod ſpacium eſt, ſi qua loca, ſi quod & intrà,
Aut extrà terras, id complet numine Chriſtus,
Hic præſens, illic præſens, hic fortis, & illic,
Et quocunq; vides Chriſti ſunt omnia plena.
At ſocij deiecti animis dum lumine mœſto
Hærent defixi cœlo, obtutuq; ſequuntur
Iam iam corporeo diſceſſu è limite terræ
Migrantem, & cœli ſublimi in ſede receptum.
Ecce oratores gemini de gente miniſtra
Cœlicolûm, volucri findentes nubila lapſu,

Corripu-

Corripuēre incepta, Quid ô Galilæa virûm vis
Suſpicitis cælum, atq; oculos per inane leuatis?
Nos teſtes cælo miſſi mox adfore tempus,
Cùm mundo ſe iterum manifeſto in corpore prodet,
Et lapſas hominum ſortes in priſtina reddet,
Et facta, & vitas extremo munere functus,
Inquiret, iuſta ſuſpendens omnia lance.
Et velut Heliam trans æthera vexit apertum
Flammanti curru, & radiantibus intulit aſtris:
Sic idem ſimili ducet per nubila pompa
Agmina cultorum, patriaq; in ſede reponet.
Nanq; poteſtates mundiq;, Erebiq; ſuperbas
Subiecit pedibus, vireſq;, animoſq; feroces
Depoſuit, Mortem tulit, abſumſitq; triumpho,
Ductoremq; ipſum, facies quem dira tegebat
Spirantis colubri, preſſum pede clauſit ahenis
Compedibus, fractoq; illiſit in oſſa cerebro
Arduus, & circo ſpectatum duxit aperto,
Magna trophæa ferens, quos dat ſua dextera letho,
Et rapta ad ſuperas altè ſpolia extulit auras
Iam vincto tortore, & iam domitore ſubacto:
Et magnum per inane volans, dona optima dona
In numerum iacit, & fidos partitur in omnes.
Ex illo celebratus honos, atq; annua vota
Exequimur Chriſto, & tantos mens ægra triumphos
Excipit indulgens fidei, ſecumq; volutat
Hoc ducis ætherei bellum cum principe mundi.

Ex quo

Ex quo primus homo perſuaſus ab angue ruebat
In vetitum, & mentes abductas numine ab alto
Orci mancipium prædo in ſua iura trahebat,
Formataſq́ recèns diuini ad numinis inſtar
Deijciebat atrox animas à ſorte priore,
Ac habitu, & forma lucis ſpoliabat auitæ,
Nec nos obniti tantùm, & contendere bello
Sufficimus, ſuperabat enim, totumq́ tenebat
Infanda ditione Orbem, nec in agmine tanto
Cælicolûm audebat quiſquam ſe credere pugnæ,
Nec bellum finire manu, nec vertere fundo
Regna, poteſtatemq́, iugumq́ immitis Auerni,
Et regno exigere, & prædas inhibere cruentas,
Et patrum manes in vitam ex morte vocare,
Conferre amiſſum decus, in ſolidoq́ locare.
Tum Pater vlterius procedere cædis accruos,
Et ſæuire animis Serpentem haud paſſus acerbis.
Ergò in tergemino ſanxit decreta ſenatu
Omnipotens genitor, Natumq́ exciuit, & vltrò
Sorte legens mediam perſonam his deſtinat auſis,
Quæ lapſis hominum ſeſe interponere rebus
Audeat, abſoluatq́ iugo, faciatq́ ſerena
Luce frui, qui nunc ſtygia compage tenentur,
Mortem abolet cum morte ſua, regemq́ ſiniſtrum
Impediat vinclis, & culpam ſanguine ſoluat.
Nempè Deus Natum miſerans incommoda noſtra
Illicò primorum demiſit ad ora parentum

Deſtructo-

Deſtructorem operum Satanæ, & viroſa prementem
Colla pede, atq; imo vertentem tartara fundo.
Nam iuxta genitorem aſtans ab origine mundi
Dat ſeſe in medium, & patrias prece temperat iras,
Seruator capitis noſtri, columenq; ſalutis.
Hic erat ille Ales, duris qui in rebus Adamo
Adfuit; Iſacidenq; ſenem clade eruit omni;
Et patrem Abramum fatis abduxit iniquis;
Immunemq; Lothum accenſa comitatus ab vrbe
Expediit; dat flamma viam, atq; innoxia cedit.
Excuſſumq; bonis, lacerumq; in corpore Iobum
Reſtituit ſorti placidæ. Quin ipſe per arua
Cultibus orba Sinæ populum ſectatus euntem
Signauitq; viam, & curſus direxit apertos.
Ipſe triumphali ſubuectus in axe, vocauit
Te magne Ezechiel, diuina vt iuſſa ſonares
Excitus fatis; emiſſam & carcere gentem
Rurſus in antiquam patriam è Babylone reduxit;
Dum tandem humanæ collectus in oſſa figuræ
Regnatorem Erebi, ſedemq; immitis Auerni
Excidio dedit incumbens, vimq; eruit omnem,
Conſtrictos & auos immani carceris antro
In lucem expediit, ſecumq; è morte reduxit
In nemus Elyſii ſuperi, ſedesq; beatas,
Et ſe ſublimem cœli in ſtatione locauit,
Vt Vatum impleret voces, atq; omnia fata,
Conuentusq; hominum ſacros ſibi cogeret omni

Ex numero, & tandem confecto temporis orbe
Defunctos vita tumulis exciret apertis
Terga premens arcus pluuij; tum reddet auitæ
Nos patriæ, & regnum Patri; tum in fœdera regni
Nos patrij ſecum conſorti in honore reponet,
Proq; breui exhauſto lacrymarum in valle labore,
Munera, lætitiamq; dabit non temporis vlla
Pendentem à lege, & ſpacio; ſed acerbus iniquam
Excipiet gentem ſtatus, & miſerabile fatum,
Quam feruens magno præcluſerit obice torrens.
Nunc verò in vinclis cohibet, ferriq; catenis,
Ne ſtruere auderent acies, aut tendere contrà,
Vſq; reſeruatos cenſoris ad ora ſtupendi.

Ni mirum hanc pugnam, ſpectaculaq; iſta trium-
Olim Tharſiaca vates de gente ſonabat. (phj
Nanq; canebat vti magnum per inane leuatus
Regna, poteſtateſq; Erebi, vimq; exuit omnem
Omnipotens natus Patris omnipotentis, & ipſum
Serpentem ſtygium, qui malo illuſerat Euæ,
Comminuit, nocuoſq; auſus diſperſit in auras,
Sub pedibus lethum poſuit, culpam abſtulit omnem,
Infernas reſerans ſedes, & vincta reſoluens
Agmina, viq; ſua capiens immania regna,
Tortorem, & ſocios æterno in carcere clauſit.
Sed contrà exacuit vires fortiſſimus Orci
Spiritus, attollitq; animos, & robora contrà
Effert, & ſociûm virtus coit omnis in vnum,
Tartarei

Tartarei flatus, noti feritate Tyranni,
Doctrinæ autores falſæ, & qui nomina fratrum
Prætendunt ficto ſub relligionis amore,
Hoſtes doctrinæ, monumentorumq́; ſacrorum,
Omnes qui cæde accincti, vaniſq́; repertis
Dedecore afficiunt magno Natumq́;, Patremq́;,
Verba Dei & fraude inuoluunt, & vertere fundo
Cultores Chriſti tendunt face, gurgite, ferro,

Mors etiam, ſiue illa huius, ſiue illa futurj
Perpetua eſt æui: dehinc dira, atq; aſpera vota
Litem intendentis Legis; ſummiq́; parentis
Ira face abſumens calida Legi abſona facta;
Et varia ærumnæ genera, & diſcrimina fati
Multa modis multis, pariter ſocia agmina iungant,
Et Sathanæ pro parte animis, & viribus æquis
Stant longis adnixi haſtis, ictumq́; minantur.

Haſtæ acies verò, ô homines, noſtra impia culpa eſt,
Omnia qua violat, quaq́; inficit omnia letho
Quicquid in has auras vſquam genuêre parentes.
Hanc haſtam Lex exacuit, quò tranſeat ictu
Ad latebras animæ, & vitam diſpergat in auras.
Hi ſunt qui Chriſto bellum, implacabile bellum
Intentant: ſtygiæq; patent magna oſtia portæ
Ingenti rictu ſimiles iam iamq; voranti.
Et quicquid perimit lethum per vulnera culpæ,
Id flammæ ſtygiæ abſorbent, & deuorat Orcus.

Hoſtibus his, Chriſto luctandum, & bella gerenda,
Et quæ bella odijs haud exaturata quieſcunt.
At fortes hoſtes ſuperabat fortior hoſtis
Patre Deo pariter, caſtaq́; è virgine natus.
Stirpe potens gemina, qui prælia dura ſubibat
Vnus pro multis, & multis hoſtibus vnus
Luctatus bello, ſpolia omnibus omnia ademit,
Perq́; ſonum verbi patrio quod corde profectum eſt,
Omnia conuicit reprobi mendacia mundi,
Et vitam amiſſam propria cum morte reuexit.
Inde iugo oppreſſos in circum protulit hoſtes,
Romani vt proceres dextro rem Marte gerentes
Solenni in pompa lætum Pæona canebant
Toti lucentes veſte, atq; inſignibus armis,
Velabantq́; comas lauro, currumq́; premebat
Inſignem radijs victor, quem tegmen obibat
Auro intertextum; dextra, leuaq́; ſequuntur
Purpurei criſtis proceres, Oſtroq́; decori.
Tendebant alij pictum velamen ad auras,
Quò res Romanæ, pugnataq́; in ordine bella
Cernere erat, verſæq́; arces, atq; oppida forti
Capta manu. Tum victa phalanx, ereptaq́; victis
Signa vehebantur, clypeiq́;, enſesq; coruſci,
Et criſtæ capitum, & loricæ ex ære rigentes,
Externiq́; habitus gentis, genteſq́; ſuperbæ
Ferrò inneċtuntur torto, paſſimq́; feruntur
Per fora, perq́; aditus, & publica ſtrata viarum.

Ante triumphalem currum, qui quatuor albis
Ducebatur equis; pueri, cum veſte decora
Frenatis lucent in equis: ſed deinde ſequuntur
Inſignem currum quos victor ab hoſte recepit
Velati ramis oleæ, nexiſq; corollis.
Poſtremò incedunt florentes ære cateruæ,
Omnibus his viridi velantur tempora ſerto.
Quin & in occurſus tota regione ruebant
Agmine compoſito celebrantes ſacra per vrbem.
Lætitia, ludiſq; viæ, plauſuq; fremebant,
Pulſatæq; dabant vocum diſcrimina chordæ.
Omnibus in templis aptabant dona ſuperbis
Poſtibus, in partemq; deos, prædamq; vocabant.
Qualis Abram partem tibi Melchiſedece ferebat
Ex omni prædæ numero, cùm victor ouaret.
Mutua tum inter ſe læti conuiuia curant,
Multa boum circà mactantur corpora, & albas
In flammam iugulant pecudes; tum ſpargitur aurum
In numerum, & vota in vico gens nuncupat omnj.
Haud alia eſt Chriſti ſpecies de morte reuerſi
Cùm cælo inuectus, ſpoliiſq; Acherontis onuſtus
Agmen agit præ ſe, medio cui cœtus Olympi
Occurrit ſpacio, & legiones per loca cæli
Agnoſcunt longè regem, luſtrantq; choreis.
Ipſe ſedens, palmamq; tenet, celebratq; triumphum
Proſubigens pede Serpentem; quem deniq; vinctum
Nunc in doctrinæ officio per compita ducit

 Spectatum

Spectatum, penituſq; Fides cum lumine aperto
Perſpicit, vt mortem abſumſit victoria Chriſti,
Vt malus attrito ſuccumbat vertice Serpens,
Vtq; animos poſuit rabioſa potentia mundi
Verſa retrò, ſignumq; gerant ſeruile Tyranni
Conſtricti collo ferri compage retorta.
Ergò agite, & quicunq; oculis, & pectore fido
In Verbo aſpicitis tanti ſimulacra triumphi:
Dicite iò, Mors fœda vbi nunc tua tela, tui arcus,
Obliquæq; acies, & tinctum haſtile cruore?
Incipe ſi qua tibi virtus, & conſere dextram. (bas?
Styx, vbi nunc vis magna tua eſt, qua turgida oua-
Seps, vbi nunc magnum imperium, quo cuncta fati-
Seruitio, infanda paſſim ditione premebas? gans.
Vlterius ne tende, tui eſt hìc meta furoris.
Viciſti tu Chriſte Orbem, mortemq; triumpho
Hauſiſti, mundiq; caput tu calce petiſti,
Vinclaq; vincta manu cœli ad conuexa tuliſti.
A quo igitur vis eueniat, ſi Numine apud nos
Semper ades, dum lapſa obeant ſua ſecula finem?
Tu, cùm ſæpè audet rurſum ſe in vulnera Serpens
Erigere antiquus, retroq; reflectere dentes.
Inuiſos Chriſti pedibus, ſæuumq; venenum
Morſibus inſpirat, tu deſuper acrius inſtas
Ora reluctantis reprimens, & vulnera ſanas
Quæ pedibus ſunt facta tuis, & ſanguine mundas
Vſq; tuo, atq; olei curas aſpergine ſacri,

Nempè

Nempè tuo Flatu, reficisq́; in prælia feſſos,
Ne cupiant tentare fugam ſtatione relicta,
Subſtituisq́; loco tua qui mandata per Orbem
Intemerata ferant, populisq́; exacta recludant.
Hinc dona in medium partiris Flamine miſſo,
Cùm tua verba homines animo accepêre fideli.
Tu Patri defers gemitus, & verba precantûm,
Et nos proſequeris cura, noſtræq́; ſaluti
Impendis vitam ipſe tuam, propriaq́; carentes
Iuſtitia, tegis ipſe tua, qua deniq; freti
Audemus patrios impunè accedere vultus,
Et petere ex illo cœli quodcunq́; bonorum eſt,
Vt quondam indutus villoſo tegmine Iacob
Ante patrem accepit felicia vota ſalutis,
Et quos non meruit primi natalis honores.
Nec longum in medio eſt tempus, cùm victor ouanti
Inuectus curru nos tecum in ſceptra repones,
In partemq́; tuorum, & regna vocabis honorum.

IN PENTECO-STEN.

NEc verò exuperat quicquam, nec grandius Orbi
Conceſſum munus, diuini & pignus amoris,
Quàm quòd ab arcana molitus ſede regreſſum
Ipſe ſuum numen miſeris mortalibus vltrò
Exhibuit Deus, & manifeſta in luce retexit,

Lucis inacceſſæ radijs quanquam abditus ipſe,
Quo neq; fas acie quenquam, nec tendere ſenſu.
Atq; ideò emicuit, ſua ſenſa vt condita nobis
Monſtraret bonus, & dictis aperiret amicis.
Ergò etiam legis præcepta, aut ſancta ſalutis
Gratuitæ promiſſa ſonans, aut ſemper vtramq;
Complexus vocem, populos ſermone docebat.
Lucibus his autẽ quibus omnis turba quotannis
Mente pia recolit monumenta exorta ſupernè,
Bis Pater inſigni ſe olim patefecit honore,
Bis magno in populo miris ſeſe extulit auſis
Oſtentans decus immenſum, numenq; tremendum
Toti naturæ rerum; quo tempore primùm
Monte Sina rapidos iaculatus nubibus ignes
Spiraretq; iras, & verba minantia lethum,
Dum Lex de cælo ſonat, & mortalia corda
Per gentes humilis ſternit pauor, incitaq; alto
Terra tremit motu, monsq; ignibus ictus anhelat.
Ille ardens ira, & radijs circùm ora coruſcans
Subluſtri in nebula, Gnatum compellat, vt ipſe
Interpres det ſe in medium, ſuaq; horrida iuſſa
Officio Moſis populo commendet habenda: (tem
Quandoquidem aſpicere, & vultu contrà ire Ton an-
Haud licitum eſt cuiquam mortali ſemine creto.
Deinde aliud maius factum, multòq; tremendum
Obijcitur magis, & mortalia pectora tangit,
Cùm ſubitò ingenti cælum diſceſſit hiatu,

Flatus

Flatus & in flammis, & fiſsis gutture linguis
Adparens, lucemq́; ſacram per tecta volutans
Cum ſonitu inuaſit cultorum pectus, & ora,
Argutas reſerans varia in præconia linguas.
Hic tum diuerſo gentes ex orbe coiſſent
Tàm variæ linguis, habitu quàm veſtis, & armis:
Quiſq; ſuæ tamen agnouit commertia linguæ,
Conſortesq́; ſonos, patria & diſcrimina vocum.
Nos ergo propiùs vult hæc monumẽta Deûm rex
Cernere, doctrinaq́; fidem prædiſcere ab illis
Quam pro ſuggeſto ad populi proponimus aures.
Huncq́; Deum tu mente colas, votisq́; fatiges
Qui tibi ſe toties in miris prodidit auſis.
Primùm equidem Sinai ſub vertice, quẽ ſuper ingens
Porta tonat cœli, & trifido montem implicat igni,
Horrifico ſonitu data erat ſapientia Legis.
Exin cum molli ſtrepitu genitabilis auræ
Miſſum Flamen erat, monſtratumq́; omine aperto eſt
Hunc Flatum propria per ſe ſubſiſtere vita,
Viuida qui flamma eſt mentis Natiq́;, Patrisq́;,
Qui viuam hanc ſpirant auram, & per mutua ſeſe
Rurſus amant, vinclisq́; hærent, & numine amico,
Flamma patrem, natumq́; ardet, Natusq́;, Paterq́;
Flammam ardent rurſum, & par eſt vtrinq́; volun-
Tunc etiam patuit, Flatu impulſore quòd iſto (tas.
Natura manante Dei Natiq́;, Patrisq́;,
Pectora noſtra ſibi iungat Deus, ipſeq́; Flatus

Ceu medio vinclo iungat Chriſtumq́; pioſq́;,
Atq; nouæ radios accendat lucis, & intus
Cauſſam ad iuſtitiam det, qua Legiq́;, Deoq́;
Nitimur autori conformem ducere vitam.
Nec datur hic Flatus cuiquam, niſi qui tibi iunctus
Chriſte fide vera prius hæreat, inde capeſſat,
Si te habeat, quæ dona tuo de munere manant:
Nec conſors humoris erit, niſi palmes in ipſam
Traductus vitem prius almo in ſtirpe caleſcat.
Quiq́; tui eſt exors flatus; nil iuris apud te
Obtinet, & non vlla iniit pia fœdera tecum.
Nec melius donum Deus, aut dare maius habebat,
Naturæ quàm fida ſuæ commercia nobis
Transfuſo flatu, veri qui nexus amoris
Mente ligat ſocia genus hoc mortale, Deumq́;,
Et ſic condiderat mentes hominumq́;, ſacrorumq́;
Alituum regione poli, quò Flamine in ipſas
Diffuſo, caperet coniungi Numine, & æuum
Tranſigere æternum, & ſocia bonitate potiri,
Iuſtitiæq́; ſuæ radijs communibus vti,
Ac alere inuictam ſapienti in pectore lucem. (moris
Hoc erat, hoc ingens monumentum, & pignus a-
In genus humanum, ſua cùm bona ſumma creator
Ipſe Deus faceret nobis communia ſecum,
Nempè ſuum effundens noſtra in præcordia Flatum.
Heu quàm reſpondit meritis mala gratia tantis?
Diuinos nexus, mirandaq́; vincula amoris,

Quæ

Quæ fas æternùm colere, & reuerenter habere,
Rupimus ingrati, penitusq́ excuſſimus omnes
Pectore polluto conſortem Numinis Auram.
Factus homo fuerat diuini ad numinis inſtar,
Vt mentem noſſet domini, & ſe lege teneret
Ipſius, & dicto parens ſe ſubderet ipſi.
Inſita notities erat hæc in origine prima
Cordibus humanis, digitoq́ inſculpta Tonantis,
Quo Lex marmoreis demum eſt inſcripta tabellis.
Atq́ hoc illud erat formari ad imaginis inſtar
Diuina quæ in mente micat, quòd conditus eſſet
Primus homo, mentis diuinæ gnarus, & vltrò
Auctori præſtare potens quæ munia vellet.
His tunc officijs ipſum affeciſſet honore,
Perfecto venerans in amore, in ſpeq́, fideq́,
Præſtandisq́ operis aliena in ſorte iuuanda.
Cùm verò in tenebris fœdè obſcurata iaceret
Dulcis imago Dei, ſed non tamen oblita prorſus;
(Quando ſcintillæ diuina ab luce relictæ,
Nempè acies animi quæ res ſcrutatur, & vſum
Naturæ rerum, generatimq́ inſita cunctis
Notities de lege Dei, ſub mente micarent
Abditæ adhuc, nec ſe auderent extollere rectà:)
Tum miſſum terris Natum in velamine carnis
Imperijs egit Pater, vt ſimulacra refingat
Lapſa Dei ſub mente hominis, tenebrisq́ repulſis
Deterſæ affundat menti noua munera lucis.
Sopitosq́

Sopitosq́ ignes iterum ſacra excitet Aura,
Danſ libertatem menti, quò munia obire
Grata Deo poßit, quæ Spiritus exigit vltrò,
Imperfecta quidem, triſti hac dum ſorte tenemur,
Sed numeros omnes ſolidæ integritatis habebunt
Deſtructa iam morte olim, cui ſubdita vita eſt
Corruptam ob ſortem Naturæ in corpore noſtro,
Quæ penitus nequit in ſolidum, integrumq́ referri
Hanc dum ægri vitam trahimus, mundoq́ moramur,
Cùm tandem functi tumulis, vi Flaminis alta
Venturi æthereas iterum ſint lucis in auras.
Ergò etiam præſtare omnes benefacta neceſſe eſt
Debita, qui Chriſti officio, Flatuq́ ſacrato
Incepêre iterum ſimulacra ad auita refingi
Viua Dei autoris; ſi plena, exactaq́ demum
Reſtitui hæc cupiant illorum in corpore quondam,
Et Chriſti gaudere opibus, partemq́ bonorum
Exemplo hæredum trahere in cœleſtibus oris,
Corpora cùm rurſus noua inibunt lumina vitæ.
Quis furor eſt igitur dictis obtendere Legi,
Et ſacri officium Flatus premere, vt pia luſtrat
Pectora, iterq́ nouum vitæ docet ire beatæ,
Effigiemq́ Dei reficit, fingitq́ nouando?
Improbus AGRICola, & comes ipſi ridiculus MVS
Qui legem factis violatis, & ore profano
Fatidicum Moſen, legis data iuſſa ſonantem
Imperio Nati, medius qui munera obibat

Legati,

Legati, iuſſus Moſi concredere Legem,
Polluitis, ſacrum maculantes crimine nomen,
Proponi ad furcam vultis, ſed in æde negatis.
Vos genuit Dathas pater, atq; eduxit Auiras,
Quos hiſcens tellus viuos tranſmiſit Auerno
Cùm furijs acti ſunt auſi obtendere Moſi:
Et cauſſa illa fori tantùm ſpectabat ad acta.
Vos, inquam, diræ Eumenides, quæ vindice pœna
Multant facta virûm, cinctæ ſerpentibus atris
Sollicitent, pœnasq; iſto pro crimine ſumant:
Dira nec à vobis Legis maledicta ferantur,
Imprecor, & veſtros maneant ea crimina manes,
O multò grauiora auſi quàm turpis Abiras,
Et ſcelerum conſors; vos legem ex æthere miſſam
Eijcitis templo, & tranſuerſa ad tigna ligatis,
Quæ cuſtos hominum vitæ eſt, & firma voluntas
Diuinæ mentis, fatisq; ignara moueri.
At vos queîs melior reſidet ſententia menti,
Audite ô vocem Sinai quæ in monte ſonabat
Luce ſub hac feſta quondam, cùm lapſa dierum
Quinquaginta eſſent diſcrimina, tempore ab illo
Quo genus Iſacidûm Pharia regione reductum eſt:
Audite, & dociles Legi ſubmittite mentes.
Dehinc petite & votis donum, quod numine aper
Luce ſub hac feſta quondam fuit æthere miſſum (to
Multifidæ in linguæ ſpecie, flammæq; coruſcæ:
Hoc petite, vt celebrare Deum cum pectore puro
Vita

Vita queat, iuſsiſq; Dei parere ſacratis.
Atq; ideò venit cœleſti Flamen ab arce
Pignoris vt de more fidem mortalibus ægris
Conſtituat, quòd ſint in fœdera priſca recepti
Ante Deum: Cùmq; illud idem procul eijcit omnem
Mœrorem ex animis noſtris, & pectora ſanat:
Hac luce erecti rurſum agnoſcamus amorem,
Quo nos proſequitur Pater in ſua iura receptos,
Atq; fide accenſis animis ad vota feramur.
Te ſine nil altum mens inchoat; eia agè lucis
Sparge tuæ radios diuini fomes amoris,
Atq; nouam mentem, noua ſuffice corda renatis.
Sed quia doctrinæ lucem ſuccendit, & idem
Flatus inextinctam vario ſub turbine ſeruat:
Vult nos officium Verbi reuerenter habere.
Quare agite, vt gratæ mentis monumenta ſuper-
Illis ſubſidio qui ſunt pia verba profeſsi (ſint;
Quiſq; ſua pro ſorte ferat ſua munera ad aram.

DE S. VRBANO, IN LAVDEM *vini, & eius vſum.*

NVnc Vrbane tuis agitur lux dedita ſacris,
Quando racemiferis frontem circumdata ſertis
Æmula ſtant ſimulacra tui, colloq; reuincta
Torta, repleta mero dependent vitrea vaſa,
Suffuſiq; tument oculi, minioq; rubeſcunt

Tempora,

Tempora, & in ventrem turgentia pectora creſcunt.
Ad Flamen præ ſe portans ſimulacra per agros
Te libans Vrbane vocat, tibi ducere pompam
Vociferans, vt adeſſe velis creſcentibus vuis
Neu labes reptantûm vllæ, cœliúe ruina
Officiat teneris, & Bacchum euertat in herba.
Illum omnes pueri, & vertunt felicia Baccho
Iugera qui raſtris, cantu, & clamore ſequuntur.
Vana ſuperſtitio traxit de gentibus ortum,
Numinis ignaras veri quas error adegit
Fictilibus diuis cæleſte aſcribere numen.
Sic te Iane biceps, & te quoq; Bacche colebat
Romula gens, quorum largo de munere tellus
Pocula calcatis Acheloia mutet ab vuis,
Mitis & excipiat cœli indulgentia vites,
Frigida nec tumidis ſubeat iactura racemis.
Nam licet haud magnam merſæ in caligine gen-
Noticiam tenuêre Dei, quem credulus orbis (tes
Excipiat votis dominum, rerumq; parentem:
Senſerunt tamen æterna de Mente creatam
Hanc ſeriem: rerumq; vices, motusq; perennes
Pendere ex alto de maieſtate ſuperna,
Et Dijs reddendas rerum pro munere grates.
Vt tamen Vrbano vini tutela per orbem
Ceſſerit, ambiguum eſt: diuos ſibi fecit abuſus.
Primus in Auſonia conſors cognominis huius,
Tempora qui triplici redimibat ſacra tiara,
Argento,

Argento, atq; auro confecta, atq; aſpera ſignis
Vaſa in honore Deûm ſacros legauit ad vſus.
Tempore quo ſextus ſucceßit nominis hæres;
Ad Rheni tractus euentum Bacchus habebat,
Inq; iugis Mœni vindemia larga ſecuta eſt.
Hinc numerum te augere putant Vrbane deorum,
Numinibusq; tuis ſolennem præſtat honorem
Credula gens, cùm ſe verno ſub tempore palmes
Induit in florem. Non illo tempore vermes,
Non virides etiam occultant vineta lacertos
Dum latè Ambroſium ſpirant arbuſta vaporem.
Sed quocunq; modo fraus impia traxerit ortum,
Nil moror horrendos diuorum in cultibus vſus,
Vnus enim Deus eſt, VERBO qui cuncta creauit,
Et Pater, & Natus, Flatusq; ab vtroq; reſultans,
Par tamen, & ſimplex perſona in triplice numen:
Ille creat quodcunq; vides, ſeruatq; creatum;
Hoc mandante, ſolum iumentis gramina profert,
Et Cererem humano tribuentem robora cordi.
Ille nouas trudit putrefacto è ſemine fruges,
Atq; ſatis largum demittit nubibus imbrem.
Ille duos latices, vitisq;, oleæq; virentis,
Producit terra, quibus haud præſentius vllum
Humano generi vitæ communis in vſu
Auxilium venit, & vires in corpore ſeruat.
Scilicet in rebus ſubiectis luminis orbi
Auctorem nulli ſubiectum luminis orbi

Conſpicimus, paßimq́ ſui ſimulacra notamus.
Ergò age, quò rectè tam nobile munus, & ipſum,
Muneris auctorem ratio cognoſcere diſcat;
Et Cereris, Bacchiq́ bonis, quantum exigit ordo,
Grata mente frui poßit, ſine clade ſalutis,
Sacrorum de more patrum, qui morſibus antè
Non tetigêre dapes, votis niſi ritè ſolutis;
Hinc canere incipiam: Vos ô dulcißima rerum
Munera, languentes hominum quæ paſcitis artus
Liber, & alma Ceres: quòd ſi non munera tantùm
Veſtra canunt Vates, ſed ſacris obuia libris
Tot monumenta probant Lenæi germinis vſum:
Nemo etiam ſenſu accipiat mea cepta ſiniſtro,
Quòd de laude meri præconia pangere conor.
Néue gulæ laxare putent me frena, meoq́
Fulta patrocinio damnoſa licentia Bacchi
Tollat honeſtatis leges, & ſepta pudoris
Exeat: inuerſos vſus, moremq́ nefandum
Qui certat Baccho, & vicibus ſe proluit hauſtu,
Deuoueo, & vicijs non tento inducere fucum,
Intempeſtiuo veniunt quæ plurima Baccho.
Nec minus aduerſum dictis inceßimus agmen
Quod ficta pietate putat ſe numina cultu
Deuincire ſibi, vini quando abſtinet vſu,
Et vites flammis abolet, fæcundaq́ Bacchi
Teſqua ſolo ſternit, falcato & demetit enſe:
Hæc pietas Mahomete tua eſt; hinc ſæuus ad arma

Surgis, & imbelles Chriſti inſectaris alumnos.
Nec ſatis hoc, te Nate Dei de ſede paterna
Euertit, diciq; negat te ſtirpe vigere;
Sed pedibus tua ſacra premit conſulta, Fidemq;
Dat vitio, & culpæ, qua ſola ſydera adimus.
Nam quamuis extrà ſortem Nazira propago
Abſtinuit Baccho, firmos exoſa liquores:
Et ſtirps Rechabidum votis aſtricta parenti
Degebat tenuem Bacchi ſine munere vitam:
Non tamen exemplo totus cadit vſus ab vno:
Dona Dei bona ſunt, proſuntq; impunè fruenti.
Fas Cerere, & Baccho, pingui cum cæde ferarum
Grata mente frui, quantum lex ægra requirit
Corporis humani; nihil hic Romane ſacerdos,
Iuris habes. Qua lege Dei tu viſcera menſis
Arguis imponi? neq; enim ſe numina tali
Placari gaudent merito, ſed mente, fideq;.
Prouida Nabalis conſors, prudentis imago
Coniugis, armenti fibras, vtreſq; Lyæi
Iſaidæ regi ſupplex dat munus habere,
Dona Dei adpellans mundo conceſſa ſecundo.
Primi mortales, dum corpora firma manebant,
Et vis in rebus ſpirabat plena creatis,
Expertes vini degebant tempora vitæ.
Poſt fatalis aquæ ſtragem, triſtemq; ruinam
Roboris humani, cùm iam ſalis vnda peredit
Pinguia terga ſoli, nec vis prior illa ſubeſſet

Fructibus,

Fructibus, atq; herbis terræ: Deus ipſe recentes
Pignore cum Verbi, poſiteq; in nubibus arcu
Permiſit tibi Noha dapes, vt languida membra
Viſceribus pecudum recrees; & nectaris hauſtum
Attribuit, ſtomacho pariter, curisq; leuamen;
Iamq; ſeni; pueris non apta licentia vini eſt.
Ergò repertori vini tibi, nomina vini
Hebræa de voce dabant, Ianumq; vocabant.
Cùmq; æui veteris vidiſſes ſecla, nouiq;:
Hac veteres cauſſa moti finxêre bifrontem.
Talis odorato primus ſudantia ligno
Balſama Nachorides medicos monſtrauit ad vſus,
Balſama Iudææ tantùm naſcentia genti,
Quam bellis habilem voluit Deus eſſe gerendis,
Morborumq; dedit ſimul, & tutamen in armis.
Nam circum infreni ſedem tenuêre Philiſtæ,
Hinc deſerta ſiti regio, lateq; ſurentes
Chaldæi cinxêre, quibus bella aſpera cordi
Semper, & inuictæ ſuperant ad prælia vires.

Nec ſolùm argenti venas ærisq; metalla
Suppoſuit terris ſuperi indulgentia patris,
Et paſſim riuis flauentia currere mella
Paſſus erat, mixto ſpumantis flumiue lactis:
Quin & pampineo terram veſtiuit honore,
Et iuga virgultis frondebant conſita Bacchi.
Vix vnum duo nanq; viri cum vecte racemum

Multiplicem, connixi humeris ſufferre valebant.
Quippe ingens ſpecimen populis dedit iſte racemus,
Quàm diues rerum variarum, & frugis abundans
Terra Paleſtinæ cultis caput extulit aruis.
Nec dubium eſt, Moſen ſignaſſe in imagine tali
Præcipuè veram vitem, verumq; racemum
In Syria eductum, & patria regione reciſum,
Vnde ſacer latè ſtillat liquor, omnia paßim
Qui ſanie, taboq; fluentia vulnera purgat,
Quæ latro inflixit miſerando in corpore noſtro.
Quippe idem qui ſe vitem cognomine dixit
Filius ipſe Dei, quando ad connubia venit
Pauperis in Canæ vico, generoſa Lyæi
Dona ferens aderat, viniq; probauerat vſum
Ipſe ſuo exemplo, dum labris admouet hauſtum.
Quare agite, vt vini conceditur vſus, ita arctis
Relligionum animos nodis exoluere pergo.
Carne famem ſedare, ſitim reſtinguere vino,
Si modicè ſumas, ſi grato pectore; nulla
Relligio vetuit: neq; enim lex obligat vlla
A quibus officijs te lex diuina reſoluit.
Hoc ſacri proaui rebus, quorum exigit vſus,
More fruebantur, qui ſueti viuere paruo,
Præfatiq; preces, curabant corpora victu.
Qualis vbi Abramo ſpolijs hoſtilibus aucto
Melchiſedech, rex idem hominumq;, Deiq; ſacerdos,
Munera portaret Cereris, laticemq; Lyæum,

Perq;

Perq́ diem inter ſe conuiuia lauta pararent:
Tum prior attollens pateram ſpumantis Iacchi
In menſam lætus libat, partumq́ triumphum
Gratatur reduci, dehinc ſacro ex ore precatur
Vt ſacrum ſuperet genus, Abramiq́ nepotes
Sideris in numerum ventura in ſecula creſcant.
Hic mos orandi eſt, quando ad libamina ſacra
Conuenére Patres; reliquis inſignior vnus,
Aut æuo prior, aut meritis, firmiſſima vina
Crateri infudit magno, miſtoq́ liquore
Fluminis, in menſa laticum libauit honorem,
Luſtrauitq́ dapes, dixitq́ precantia verba,
Et patera increpitans partem diſperſit in auras,
Et primus laticem ſummo tenus attigit ore:
Tum ſocijs dedit aſſurgens; illi ordine circùm
More ſuæ gentis, latices hauſére Lyæos.
Hoc & tum ritu libabat pocula vates,
Non vt rem ſacram faceret pro nomine Abrami,
Placaretúe Deum cultu, & libamine facto,
Qualia ſacrifici finxerunt monſtra per Orbem.
Hunc proceres morem libandi ritè tenebant,
Atq́ ſuper patera ceciniſſe oracla Ioſephum,
Autor erat Moſes; ſed enim non fata futura
Edidit, aut patera magicas exercuit artes,
Qualis qui fibris inhiat ſpirantibus, & qui
Conſcia fatorum de ſenſu conſulit exta:
Verùm ſacra canens illo libauit in auro,

Inſtituitq́; preces, & grates inſuper egit
Pro re communi, ſtabili pro ſorte ſacrorum,
Et ſic ore refert: Pro te rex inclyte vota
Publica concipimus, Bacchi tibi ſumimus hauſtus.
Nam Vatem non ſolus agit, qui pandere dictis
Fata arcana poteſt; ſed qui pia ſenſa recludit
Diuinorum operum, & Vatum monumenta retexit
Pollens ſubſidio linguarum, atq; arte magiſtra.
Ergò ille eſt Vates, qui lingua interprete pandit
Scripta, valens vſu rerum, arbitrioq́; ſagaci,
Quiq́; canit ſuperûm laudes, atq; ardua facta,
Immiſcetq́; preces, & grates ore profundit.
Sic, & non aliter, patrio de more Ioſephus
Vota ſuper pateram fecit: menſisq́; locati
Omnes in circum precibusq́;, hauſtuq́; ſequuntur
Terq́;, quaterq́; viri; donec ſuperante Lyæo
Nemo ex hoc numero non vini plenus abiret.
Hunc etiam gentes inter conuiuia morem
Semper honoratum, & ſacratum ſemper habebant.
Solennes cùm fortè dapes de more pararet
Neſtor, conſilijs habitus celeberrimus autor;
Compoſitos vnà menſis ex ordine natos
Cælicolûm regi perſoluere vota iubebat:
Ferte preces, hominum gens eſt opis indiga diuûm.
Inde ſuper patera votis iam ritè peractis,
Libauitq́; merum, & focys dedit ordine circùm.
At ſoli precibus nullis, libamine nullo;

Diſcubuêre thoris Epicuri de grege porci.
Quin etiam menſa cùm conuenêre ſub vna
Lecta manus procerum, tum pro duce vota ferentes
Fauſta ſuo; in numerum libabant pocula Bacchi;
Ceu quondam hunc morem ſeruârat ritè Ioſephus
Vota ſuper patera fundens, quem deinde ſecuti
Longum iter externas qui ſuſcepêre per oras,
Tradebant vicibus digreſſu vina ſupremo,
Votum pro reditu : dehinc colla comantia equorum
Perfudêre mero, nec non bona verba dedêre.
Cùm pius Æneas ventis dare vela parabat;
Stans puppi in media pateram tenet, extaq́ſ ſalſos
Porricit in fluctus, & vina liquentia fundit,
Ventorum expoſcens paces, animasq́ſ ſecundas.
Quin etiam antiquo celebrans conuiuia ritu
Extrema iam in nocte, prius ſacra myſtica cœnæ
Quàm ſancita forent, pateram ſuſtollit, & inde
Vota ferens, hauſtum Chriſtus de ſimplice vino
Supremùm ſocijs dedit, atq; ita fârier infit:
Venit ſumma dies, & ſtat diſcedere terris,
Atq; extrema pati, ſacras vbi cæſus ad aras
Pro mundi vita vitam cum ſanguine fundam
Arboris affixus trunco, nec iam amplius hauſtus
Conſeſſu in tali uobiſcum è germine vitis
Libabo terris, donec cœleſte parentis
Imperium adueniat, ſuperasq́ſ ego reddar in auras,
Et tandem reuocentur humo qui in pace quieſcunt.

Tum cœtus ſacer, atq; æui maturus Abramus,
Et pater Iſacus, longoq; ex ordine nati
Perpetua incipient vita conſidere menſis
Nectare gaudentes liquido, ſuccisq; virentis
Ambroſiæ; quanquam nil rerum talium egentes,
Aligeri vt pueri, quos olim excepit Abramus
Inſtituens epulas, & plenæ pocula menſæ.
Quare agite, extremum hoc munus morientis habete,
Et pateram hanc, dextra pateram nam fortè tenebat,
In numerum libate pij, æternùmq; valete.
Talia dicta dabat ſocijs; illi ocius omnes
In menſam iuſsi libant, dominùmq; precantur.
Quòd ſupereſt porrò, non ſolis hauſtibus aptum
Eſſe dedit vinum genitor, quò corpora victu
Curari poſſent; ſed morbida membra leuari,
Abſumtasq; ægro refici ſub corpore vires
Hoc voluit: vinum ſeruire frequenter honori,
Et vino voluit conflari dulcia vincla
Suauis amicitiæ, cùm qui ſub pectore alebant
Sæpè ſimultatum nigra ſemina, protinus audent
Omne odium inter ſe penitus remouere, meroq;
Diluere, & pacti dare dextram in pignus amoris.
Quin & lætitiæ cauſam dedit, ægraq; curis
Pectora, & ingrato necquicquam oppreſſa labore,
Rettulit in melius, viresq; in priſtina vertit.
Nam cùm proluuies ſcelere iritata nefando
Naturam rerum violauerat, & procul omnes
Membro-

Membrorum imminuens vires, noua ſparſerat intus
Semina morborum, cùm iam noua crimina latè
Extulerant caput, & diris bis vouerat antè
Orbem omnem genitor; tandem miſeratus ab alto
Res hominum ignotum carnis conceſſerat vſum,
Et Nohæ vini latices, oleæq́ virentis
Abramo frutices Syriæ monſtrauit in agris,
Vt ſua corporibus virtus, vtq́ inſita cordi
Viuida lætitia auxilijs ſeruetur ab iſtis.
Non equidem terris, non gutta ſalubrior vlla eſt,
Quàm pingui exudans olea, quàm mitibus vuis,
Altera quando foras, quando altera funditur intus.
Et pater Iſacides, & qui Samaride ab ora
Semianimi, fixoq́ ſuperuenit, extera regna
Viſentes, oleoq́ cados, vinoq́ repletos
Vectabant ſecum, quibus haud accommoda vitæ
Dona magis, bonitate Dei ex tellure creantur.
His motus cauſis Tharſenſi natus in ora
Egregius vates caro mandabat alumno,
Cùm malè digereret ſtomachus iam ſegnior eſcas,
Auxilium petere, & vires accendere vino.
Cura vigil, ſtudiumq́ ſagax, in corpore vires
Attenuant, prauiſq́ opplent humoribus aluum:
Deficit hinc cerebri virtus, aciesq́ retuſa
Ingenij argutos non gignit vt antea ſenſus.
Pallor in ore ſedet, macies & liuida vultum
Sulcat, & ante diem ſubit immatura ſenectus

 Cùm

Cùm iam deſtructa natiui ſorte caloris
Candida Cygnæas imitantur tempora plumas.
Hîc iam vitigenos ſuadebo haurire liquores
Subſidio ſtomachi, atq; vltrò ſuccurrere lapſis
Spiritibus, ſolitosq; iterum reuocare vigores,
Tabentesq; artus victu reparare ſalubri,
Perq; vices requiem, & modicum exercere laborem.
Sæpè breues ſomnos ſtudium facit, aut labor angit
Publicus officij, & ſub noctem cura recurſat,
Sollicitúmue facit clades, & parua domi res,
Aut ſoboles morbo conflictans, aut grauis vxor:
Hîc tu mœſtitiam generoſo dilue Baccho
Concilians ſomnos, & triſtem auerte dolorem.
Inprimis venerare Deum, rebusq; peractis
Poſce pius veniam, nec ceſſa in vota, precesq;,
Donec grata quies victis obrepat ocellis,
Et feſſas reparet vires, & digerat eſcas,
Et lenes cerebro aſpiret ſub nocte vapores,
Manè nouo vt poßis rebus præſtare gerendis.
Diuiſit terris genitor ſua dona, nec omnis
Omnia fert tellus: ſoli ex Oriente profecti
Thura dabant, aurumq; Deo, ſtactesq; liquorem.
Et regina tibi Salomon ditißime regum
Diuitis Arabiæ ſpirantia dona ferebat.
Iſacides natum, cui forma ignota parenti
Miſit in Ægypti fines, vbi Dædala tellus
Diues opum variarum, & pingui fluminis alueô

Ob fru-

Ob fructus varios reliquis longè eminet oris.
Sic Heuilæ felix tellus, Ophyræaq; rura
Argenti, atq; auri maſſas, ærisq́; metalla
Gignebant viuo fœcundis ſulphure venis.
Truſsia captat aquis certantia ſuccina gemmis:
Pellibus, & ſpolijs corpus veſtire ferarum
Edocuit tellus ſeptem ſubiecta Trioni.
Sic Canaæ regio produxit fertilis vuas:
Nec leue nomen habet fumantis vina Sareptæ,
Quæq́; ſub Argolicis florebant collibus vuæ
Ipſe pater vatum quas laude vehebat Homerus
Vinoſi crimen vini qui laude ferebat.
Nec vos tranſierim vina acceptiſsima menſis
In Rheni generoſa iugis, quæ ſola ſapore,
Et ſano latice Arctoo ſuperatis in orbe.
Nam neq; quàm multæ ſpecies, aut nomina quæ ſint,
Scire, operæ precium eſt, numero neq; prendere refert.
Parcite mortales vſu temerare ſiniſtro
Dona Dei; certè rebus ſuus omnibus ordo eſt,
Quem qui tranſilijt, cadere in ſua fata neceſſè eſt.
Bacchus & ad culpam cauſas dedit; ille furentem
Pellæum iuuenem, letho demittere adegit
Cui res credebat ſummas, cuiusq́; vigebat
Conſilijs regnum. Quòd ſi quoq; de litus vnà
Eſſe voluptati ſapiens voluiſſet Vlyſſes:
Cum ſocijs verſus migraſſet in ora ferarum.
Ex re nomen habens Nabal, vitam efflat in auras

Dum iacet heſterno venas inflatus Iaccho.
Interdum eſt ſanctis error ſuus; ipſe leuamen
Cùm peteret curis Nohas, vis vicit Iacchi,
Nec facilè eſt ſeruare modum; tamen ipſius inde
Riſores trahit ad pœnam vindicta Tonantis,
Quando imprudenti nocuit violentia vini.
Nec Lothus venia caruit; quanquam impia labes
Offenditq́; Deum, & manſit ſua pœna nepotes.
Sic olim inſtituens conuiuia lauta Ioſephus,
Lætitia, vinoq́; diem & ſermone trahebat,
Et cum conuiuis largo ſe proluit hauſtu.
Nec Deus eſt numen rectæ cui gaudia mentis
Diſpliceant, ſi non pietas violetur, & æquum.
Præterà gelidi partes habitantibus Orbis,
Quâ videt Arctoi gens Teutona ſideris axem,
Feruidus eſt ſanguis magis, & ſitientia corda,
Quàm qui ſub tepida viuunt regione locorum;
Quò magè liberiore ſitim reſtinguimus hauſtu.
Sit mihi fas, plenas candore hoc dicere ad aures:
Quandoquidem ipſe Deus reiecta iugulia vincla,
Quæ pugnant cum mente ſua, cum lege ſacrata,
Gentis amore ſuæ tulerit, cùm cætera ſeruat
Sacra, Deumq́; colit quem non gens cætera nôrat;
Non equidem dubitem veniam hac in parte daturũ
Egregijs virtute viris, quos largior hauſtus
Corripuit ſæpè, atq; animos mœrore ſolutos
Inuadens ſubitò vicit generoſa meri vis,

Si pietas,

Si pietas, ſi priſca fides, ſinceraq́ʒ conſtet
Teutonico ritu non fictæ gratia mentis.
Ne tamen hoc vſu veniat mihi, magnus vt olim
Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus;
Conticeo tandem, & facto ſic fine quieſco.

LOTIO PEDVM.

NAm quod inauditũ, & ſeclis memorabile factũ
Cõmemorē? quoue ore ferã? aut quo nomine dicã?
An cadat in quenquam tàm ſancta modeſtia, et inſtar
Submiſſæ mentis, cùm qui ſit ſummus, & omnia
Excedat longè donis, lateq́ʒ creata,
Cui ſeruit mare, terra, polus, cui quicquid vbiq́ʒ eſt
Submittit famulamq́ʒ vicem, & ſubmittere fas eſt,
Non patrio ſolùm è ſolio demiſſus in Orbem
Is rerum dominus, miſeris mortalibus vltro
Seruit, & in noſtros humilem ſe colligit artus:
Quin etiam ad viles operas abit, atq́ʒ retorto
Ipſe genu nixus, labris ſplendentibus amnem
Ingerit, & poſitis biſſenis ordine alumnis
Sordida permulcet puris veſtigia lymphis,
Quamuis hi tenues, quamuis ille arduus eſſet,
Ille carens viciјs, hi gens obnoxia labi.
At quid te tenues rex maxime adire labores
Impulit? vt qui vnus ſummi fruereris honore
Flaminis, & velles adytis iam inferre ſacratis

Soli conceſſos tibi greſſus, atq; regreſſus,
Præſtares tamen antè tuis opera iſta miniſtris,
Tàm magno tenues iam nunc dignatus honore?
    Scilicet hoc ſignum voluiſti gentibus eſſe,
Tu quòd ad has à Patre voces delectus es vnus
Omnia qui poſſis luſtrare piacula mundi
Spargens rore pio, & fuſis è vulnere guttis.
Et niſi tu Petrum ablueris, quanquàm ipſe refugit
Tale miniſterium, nec ſe hoc dignatus honore eſt,
Iam tum ille exciderit cœlo, oblataq; ſalute,
Nec partem inde tui teneat, nec munera apud te.
Quid referam Iſaiden hyſſopi aſpergine tactum,
Luſtratumq; cruore tuo, cui protinus omnis
Exuitur macula, atq; infectum crimine pectus
Fit niue candidius, plumaue albentis Oloris.
Et fòrs ſi qua ſuper manſit de labe cicatrix,
Irrita, pacatam ſoluit formidine mentem,
Neu poſſet trepidare Deum, aut ſuccumbere morti.
    Quare agite, et quorũ mentes macula inficit atra,
Magna quibus commiſſa lues, decurſaq; vita eſt
Turpiter, atq; ideò exercent vos numinis iræ,
Et furiæ, quibus anguineo fœcunda capillo
Frons exundantem vindictæ nunciat iram,
Cùm ſtimulos adhibent animis, torrentq; flagellis:
Huc huc aduentate, fideq; immittite mentes
His lymphis, fluuioq; huius merſate ſalubri.
    Quippe miniſterio Chriſti, ſanctoq; cruore

Eluimur

Eluimur macula, & vitio luſtramur ab omni,
Non opus eſt nobis luſtrali aſpergine lymphæ,
Quæ magicis cantata ſonis purgare reatum,
Inq́, fugam nigros Erebi conuertere manes
Credita, fallebat miſeros errore lauantes.
Hoc etiam exemplo voluit Pater addere honorem
Officio Verbi, cuius de munere ſancto
Sanguine luſtramur roſeo, vitijsq́, leuati
Ritè Deûm accipimus vitam, et noua maſſa creamur.
Nempè miniſterij ſortem, veſtigia nobis
Ima pedum, & ſanctum legati munus adumbrant.
Ergò vt gens hominum cum magno ferret honore
Tale miniſterium: nec nón qui fungitur iſto
Cogitet in pulcris veſtigia ducere plantis:
Hanc Deus ob cauſam ſociûm ad veſtigia ſtratus
Sacrauitq́, pedes, tantoq́, affecit honore
Permulcens manibusq́, ſuis, & flumine viuo.
Et quanq̃ eſt maculis ſæpè obſita vita docentis,
Ceu fidei oblitus malè fecit, & audit Iudas:
Ipſa pedum ratio tamen, & ſua functio ſacra eſt.
Quare cùm liquidis veſtigia luſtrat ab vndis,
Tum ritus tanti rationem exponere pergit,
Et ſic voce refert: Socij, mea numina teſtor,
Quiſquis perſonamq́, meam, parteſq́, gerentes,
Et mandata meo ſuſcepta ex ore ferentes,
Legati officio functos, ſuſceperit olim
Vltrò animis, nec præceptis parêre recuſat:

Idem

Idem me cùm patre meo ſub tecta recepit;
Tanta miniſterio maieſtas credita veſtro eſt.
At pauci accipiunt fido cùm pectore Chriſtum,
Quandoquidem hos veſtræ ceperunt tædia ſortis,
Atq; illis odio eſt veræ doctrina ſalutis.
Quod ſupereſt porrò: cùm ſeſe maximus ipſe
Ad minimas operas etiam demiſerit vltrò:
Diſce animum preſſè gerere, & cõpeſcere faſtus,
Faſtus ineſt magnis, & reddunt dona ſuperbos,
Hinc variæ illudunt peſtes, & crimina multa:
Quò quiſq; eſt maior, tantò ſit mitior idem.
Si tibi ſunt animi dotes; his conſule egenti,
Nec contrà tenues aliorum deſpice vires,
Sed vicium tegere, & virtutem extollere diſce;
Sæpè etiam in paruis diuina potentia magna eſt.
Sic ô ſic curſu peragetur vita ſecundo,
Et dona in nobis creſcent, creſcemus & ipſi.

PASCHA.

CVm lecti proceres, Hebreæ lumina gentis,
Seruitio vellent Phario ſubducere collum,
Auſi ſunt vada rubra cito decurrere greſſu,
Ipſe quibus ſummis ſuſpendens fluctibus vndas,
Inſtar

Inſtar montis aquas diducto limite findens,
Errabunda viæ rexit veſtigia Chriſtus,
Nocte facem ſimulans, claro ſed lumine nubem:
Ne trucis Ægypti de finibus egredientes
Falleret inconſultus, & irremeabilis error.
Vtq; rubram curſu gens attigit Amphitriten;
Fiſſa ſinu dedit vnda viam, ſiccisq; repentè
Exuperat pedibus: cùm à tergo barbarus inſtans
Ægypti dominus, multusq; ante ora ſatelles,
Oceani vada cæca vrget, properatq; viantes
Præcipere, & pelagi medio deprendere in æſtu.
Tùm ſubitò venit vibratus ab æthere fulgor,
Quo mota eſt tellus, & inhorruit vnda procellis
Verſa retrò, planxitq; micantia ſydera mundus.
Ipſum autem pelagi prenſum cingentibus vndis
In caput, inq; humeros agit alternante procella
Fluctus, & irato celer haurit in æquore vortex.
Cui ſubter fauces ſingultant flatus, & vnda
Spiramenta animæ præcludens obice fixo.
Quo ſimul immiſſa eſt Nili gens decolor alueo,
Rubraq; palpantûm ſpumis incanuit vnda:
Currus tunc, & equos, & naufraga tela videres,
Quæ prius Hebræi ſitiebant ſanguinis hauſtus,
Imbibere infidum conuerſis fluctibus æquor.
Sed populi rubris è littoribus digreſſi
Inſuetum per iter Domino ducente ſequuntur
Antiquam patriam Canaæ, fataliaq; arua,

Queîs longo abducti ſub temporis interuallo
Sunt Peluſiacos acti ſufferre vapores.
Vtq́; quater denos Sol curſu exegerat orbes:
Iordanis rapidum ſuperabant greßibus alueûm,
Et vetus aërij ceſſabat copia roris,
Atq; explere famem Canaæ de frugibus almis
Incipiunt, patrijsq́; agitant in finibus æuum.
Omen in hoc facto eſt: quia forſan tempore tali
Cùm iam primùm aperit luces verna aura ſerenas,
Ceſſabitq́; Fides, & nos veniemus in arua
Promiſſæ patriæ, Paradyſiq́; ardua tempe
Iſraëligeno nati de ſemine fido.
Ex illo celebratus honos, atq; inde minores
Hunc dixêre diem facti de nomine Phaſe,
Deuius has impunè domos quòd tranſijt Ales
Ægypti primos conſternens funere fœtus,
Quæ ſparſos agni ſeruabant ritè cruores:
Inde quòd & ponti vada concaua, & inde retortis
Conflua vorticibus viſi tranſire fuiſſent.
Ergò die ſolennem illo gens omnis honorem
Dulcibus in libis, & cæſi carnibus Agni
Inſtituit, priſci monumentum inſigne regreſſus
Carcere ab Aegypti, libertatisq́; receptæ,
Pro qua ſoluebant memori de pectore grates,
Et tum vota dabant pro libertate futura
Quando iugum excuterent mortisq́;, Erebiq́; profun-(di
Iam regni immunes peccati, & carceris atri,
Hoſtia

Hoſtia cùm caderet maculis ſine turpibus Agnus.
Scilicet humanam propter mactata ſalutem
Ipſa Dei ſoboles, vitæ melioris origo,
Dum veniæ mediam ſe offert, & crimina ſoluit.
Nos etiam hunc de more diẽ celebramus ouantes,
Semper honoratum, & ſacratum ſemper habentes,
Quo propria virtute potens in lumina vitæ
Exijt, euicti ſpolijs oneratus Auernj,
Sub pedibus lethumq́;, atq; impia tartara preſſit,
Atq; vni ceſſit rerum data ſumma poteſtas
Quæ ſuperi, manesq́; tenent, immenſaq́; tellus.
Illo quippè die nigro tranſiuit ab Orco
Arduus ad dextram patris, atq; adſumta locauit
Membra Patris ſolio, qualem miſerabilis olim
Conſpicere optabat Iobus ſub imagine noſtræ
Velatum carnis, patriaq́; in ſede morantem,
Ipſe etiam cùm carne noua foret obſitus olim.
Hic genus Iſacidûm, cultorumq́; agmina vbiq;
In Stygio deuincta lacu, quâ nullus aquæ fons,
Sed nebulæ obſcœnæ, & torrentia ſulphure ſtagna,
Duxit ouans ſecum Paradyſi ad florida tempe,
Non ſecus atq; olim Canaæ fatalibus aruis
Siſtebat rubeo deductas æquore gentes.
Luce ſub hac etiam primum de fruge maniplum
Libatum poſuêre Deo, ſacrumq́; dicârunt.
Ritus is edocuit, primùm quod lucis in auras
Ex hominum numero qui ſeminis inſtar in agrum

 Depoſiti

Depoſiti, mollem caperent tellure quietem,
Euaſurus humo cœleſti numine Chriſtus
Eſſet: & ex illo ſacrati tempore vates
Primitias dicunt horum, qui lumine caßi
Venturi aërias eſſent iam rurſus in auras.
Nam cùm gens hominum meritas exoluere pœnas
Debuerat, quod iuſticiæ ſic ſanxerat ordo
Ferreus: ecce Deo ſtabat clementia præſtò
Inuictum vt noſtrì poſſet miſereſcere pectus.
Non impunè tamen, ſed enim ſeſe ipſe, ſuumq́;
Filius obiecit caput, in ſeſeq́; recepit
Iramq́;, culpamq́;, & culpæ debita tandem
Supplicia exoluit, qui ſit iuſtißimus vnus.
Nec prius ex illo flagrantia declinauit
Corda Pater, totam quàm exhauſit ſanguine pœnam
Funditus, amiſſamq́; reuexit morte ſalutem,
Iuſticiæ decus, & vitæ immortalis honorem,
Pro qua diſcrucianda dedit ſua viſcera ligno,
Et roſeum effudit iam extrema in morte cruorem.
Quantos ille tulit languenti corde dolores
Cùm Stygium contrà cuperet contendere monſtrum,
Et mortem adpeteret redimenda ob munera vitæ?
Nam velut in Libani pandentem brachia monte
Cedrum, aut annoſam beneolenti cortice laurum
Indomiti Boreæ quatientes flamine lignum
Eruere inter ſe certant: illa acta profundis
In terram longè radicibus, eruta tandem

Prona cadit, lateq́, & cominus omnia frangit,
Et terram illiſo conſternunt ſtipite frondes:
Sic dum ipſum validis impellunt viribus hoſtes,
Illis morte cadens viſus dare maxima damna.
Nam domito ſæuam proſtrauit robore Mortem
Nequicquam vanos iactantem brachia ad ictus;
Inde pedem victor cœtu comitante reflexit.
Nam ne noſtra malis onerentur pectora tantis;
Ipſe ſuum potius pro caris corpus amicis
Proijcere optauit, quàm ſi monumenta ſuarum
Deficerent manuum, & letho reſoluta perirent.
Ipſe igitur nobis tàm ſe, quàm munera parta
Diuidit in numerum, & conſortes gaudet habere
Omnes qui data dona fide comprendere gaudent,
Et freti his opibus morti obluctantur acerbæ.
Ipſe ſua vitam meruit mihi morte, mihiq́,
Iuſticiam pro labe mea, quam ſanguine ſoluit,
Ipſe mihi cœliq́, aditus, patrisq́, fauorem
Conciliat, ſuperaq́, iterum dat luce potiri,
Unde olim excuſſus, tenebrisq́, ſepultus Auerni
Excideram: ipſe iterum victor de morte reducet
Hæc ſua mancipia, & cœleſti in honore reponet,
Cùm mare tranſibo rubrum duce, & auſpice Chriſto,
Et Canaæ ingrediar promiſſa, & debita fatis
Regna mihi, Elyſiumq́, nemus, ſedesq́, quietas.
Nec tum primitijs tantùm locus: integra meßis
Æterno libata Patri ſiſtetur Olympo,

Omnia grana, omnes collecti faſce manipli,
Omnes & meſſes complebunt horrea cœli.
Infœlix lolium, & ſiliquis fallacibus herbæ,
Lappæq; paleæq;, & dumis carduus aſpris,
Collecta in nodum torrentibus arida flammis
Nutrimenta dabunt furuis crepitantia in antris,
Quâ diræ Eumenides cinctæ ſerpentibus atris,
Et ſcelerum facies, pœnarum & nomina mille,
Auditæ & voces commiſſa antè acta gementûm
Nequicquã, et fruſtrà optantûm iam in priſca reuerti
Corpora, & expertem ſpondentûm crimine vitam,
Ni fata obſtiterint, & inexorabile numen
Morte obita, & magno præcluſerit obice pontus
Flammeus, & nouies Styx interfuſa vetârit.

Tu verò, tu gnate Dei, qui gurgite rubro
Iſacidûm gentem Pharia è tellure reduxti
Ad dulces patriæ fines, fœliciaq; arua:
Tu nos, tu medio verſantes turbine lethi
Eripe, & aſperſos agni cum ſanguine ſancto
Securos Sathanæ, atq; necis, tecum alta per aſtra
Duc patriam ad ſedem, promiſſaq; rura piorum,
Quâ nullæ inuiſæ facies, nulla impia labeſ,
Nulla lues, nullæ clades; at fine carentes
Lætitiæ, ſuperûmq; chori, ſemperq; recenti
Perſonat aſſultans cœli domus aurea cantu.

SCALA

HÆC lux illa fuit, quæ viuæ exordia lucis
Intulerat mundo, ſtygijs quam obducta tenebris
Impia gens, alti monſtrantem limen Olympi
Reppulit, & radijs infandas prætulit vmbras.
Quotquot eam verò mente excepêre fideli;
His primùm ætheriæ data copia ſedis, & eſſe
Natorum in numero quos rex alit altus Olympi.
Fas igitur grates ſummo exoluiſſe Parenti,
Fas laudes canere, & membra omnia corpore toto
In centum ſolui linguas, & guttura centum,
Æternumq́; vocare Deum, & dare munera laudum,
Quòd colubri ſuaſu ſubuerſo, & fraude maligna
Primæuo genitori hominum iam limine in ipſo
Mortis anhelanti, & iam iam ſub mole cadenti
Æternam ex ſeſe ſobolem, autoremq́; ſalutis
Pollicitus, dulci ſermone reduxit ab Orco,
Et conſanguinea venientem in imagine carnis
Demiſit cælo, manifeſtumq́; ædidit Orbi,
Ceu nunc ipſe ſua pariter cum prole coæua
Voce miniſterij noſtris ſe cætibus addit
Vnà habitans, vrgens operas, & debita vota,
Auulſosq́; olim cæleſtûm ab amore propinquo,
Nexibus æternis hac ipſa in prole reuinxit,
Ipſe nouum fœdus feriens, quo quicquid Olympo eſt
Agminis, attonitum ſtupet, & dat pectore plauſus,
Quòd mortale genus tàm dio Semine caſtæ

 Virginis,

Virginis, æterni iam in vincula rurſus amoris
Venerit antè Deum, nullo quod fine per æuum
Ipſius inſertum maſſæ ſeruetur in ipſo.
Nam cùm iuſta Dei rabies extinguere letho
Omne hominum cuperet genus, in nihilumq́; referre:
Vicit amor tendens contrà, & monumenta perire
Noluit iſta Dei, diuinæ mentis ad inſtar
Edita: iuſtitiam ſed mitis temperat ardor.
Et quia noſtra lues factis violaſſet iniquis
Iuſſa Dei, & ſceleris labem extendiſſet in omnes
Relliquias hominum: confeſtim ſtricta Tonantis
Iuſtitia exegit, noſtra vt de ſtirpe creatus
Commeritas aliquis perſoluat ſanguine pœnas.
Vt verò precium magna pro mole ſolutum
Immenſi ſceleris ſe pondere vindicet æquo:
Decreto ſtatuit ſapienti trina poteſtas,
Vt iuſtum precium perſoluat ſanguine fuſo
Filius omnipotens, æterni Patris imago.
Nec ſæuam ſuperare necem, nec reddere vitam
Vlla hominum natura poteſt, Flatusúe creati,
Aut aliud ſemen caput Anguis tundere plantis.
Ergo Deo natus, conſors & numine, & æuo,
Oſſibus ex noſtris, & noſtro è viſcere ſumto
Viſcere tectus adeſt, & miro fœdere nectens
Naturam geminam perſona geſtat in vna.
Atq; hæc vt pulcræ diſcamus imaginis vmbra:
Incipiam ſcalæ cauſſas aperire latentes,

Iſacidæ

Iſacidæ quæ ſe fatalis imagine ſomni
Obtulit: hæc pedibus tellure hærebat in ima,
Aſt apice aërias nubes tangebat, & ingens
Aligerûm manus eſt gradibus contendere viſa.
Nam velut in dumo quem flāma innoxia lambit,
Ipſe λόγος geminæ ſignabat fœdera ſtirpis:
Natalemq́; ſuum roranti in vellere adumbrat,
Cùm Gedeon clangore tubæ, teſtæq́; fragore
Immenſos ſine vi, ſine ferro funderet hoſtes:
Haud aliter geminas mirando fœdere ſtirpes
Scala repræſentans, pingit tua munia Chriſte,
Qui cœlum terræ iungens, mortalia ſummo
Membra Deo, priſci renouas commercia amoris.
Arma ſui quondam fugiens crudelia fratris
Iſacides, per tot caſus, ad florea Charræ
Rura tenebat iter, Phœboq́; ſub æquore merſo
Nocte viam ſiſtit, campoq́; moratur aperto.
Ipſe caput ſaxo fultus, ſic lumine ſomnos
Accipit, & cauſſam regi commendat Olympi.
Intereà viſum obijcitur, ſimulacraq́; mira
In ſomnis tenuêre animum, & documenta dedêre.
Scala ingens fixis pedibus medio æquore campi
Surgere viſa ſolo, & faſtigia tendere cœlo,
Quam ſuper aligeri iuuenes ardore coruſci
Nituntur gradibus, paſſimq́; in parte ſerena
Aſcenſu ſuperant ſummi faſtigia cœli.
Ipſe Patris ſummi natus ſtans vertice ſummo

Fatalis ſcalæ, mœrenti talibus infit
Vocibus: En ego ſum claro quem numine cernis,
Patris, auiq; tui Deus, atq; oracula ſudi
Principiò mundi; neq; me ſententia mutat
Auerſum, aut cogit noua condere fata viciſſim,
Sed tibi, ſeminibusq; tuis, quæ corpore feſſo
Iam nunc rura premis poſitus ſub nocte ſilenti,
Rura colenda dabo, & magna ditione tenenda.
Et tua poſteritas latè mea nomina mundo
Vulgabit fama, vel quâ plaga præpetis Auſtri
Preſſa iacet, vel quâ vertex ſublimior Orbis,
Et quâ lætus equis Eurus ſe tollit Eois,
Quâq; diem zephyri excipiunt, conduntq; ſub vndas,
Illa voce iugo gentes ſubmittet amico;
Illa voce ſuos contundet fortiter hoſtes
Frena recuſantes, & Verbi ad iura rebelles,
Qualis vbi rapidò cum turbine ſpiritus Auſtri
Indomitus, Boreaſq; ſuo cum flamine contrà
Eruere inter ſe certant radicibus imis
Aëriam quercum, vulſo quam ſtipite tandem
Inſternunt terræ, reſonatq; fragoribus aura.
Perq; tuum ſemen populorum examina paſſim
Accipient culpæ veniam, & noua fœdera inibunt
Cum ſuperis, lætoq; fouebunt pectore pacem.
Nec te indefenſum miſera iam in ſorte relinquam;
Primus erit labor iſte mihi, caſusq; per omnes
Ipſe tegam, atq; aliquot tandem labentibus annis

His

His referam terris, & nota ad limina ducam.
Ille ego ſum, qui veſter ero, cùm viſcera ſumam
Luxati femoris, natus de ſtirpe tuorum;
Conciliansq́; homines Patri, cæloq́; reducens
Inſtar ero ſcalæ, genitor qua mittere ſueuit
Quicquid opum cæli eſt, qua mecum ad ſidera duco
Certa quibus poſita eſt in me fiducia ſolum.
Excutitur ſomno Iſacides, omenq́; ſalutans
Membra leuat ſenſim proſtrata in ceſpite nudo,
Et lapidem medium quo innixus nocte quieuit
Erectum locat, & pingui perfundit oliua
Ingeminans te nate Dei: Tu ianitor alti
Ætheris es, per te facilis conſcenſus Olympi,
Tu veniæ medium te offers, pacemq́; reducis,
Tu lethi in medio affulges, & ſanguine nixos
Vsq́; tuo, cæli das aurea ſcandere templa.
Exin & palmas tendens ad ſidera vtraſq́;
Votum pro reditu facit, atq́; ita farier infit:
Si viſurus eo patriam, & pia fata reducunt
Incolumem, & rata viſa volunt, & cepta ſecundant:
Te Deus alme colam, teq́; vnum pectore habebo
Quem ſopitus ego in ſublimi vertice ſcalæ
Vidi inſiſtentem, & clara cum voce loquentem.
Nanq́; eris ipſe mihi ſemper Deus, almaq́; iuro
Sæpè vocaturum tua numina, ſæpè daturum
Omnibus ex opibus decimæ diſcrimina partis,
Vnde tibi indeiecta loco condatur in auras.

Aſſurgens.

Aſſurgens gradibus ſacrorum in ritibus Ara,
Ex qua perpetuò pia fama feratur in Orbem
Hac mihi de ſcala cœli, portaq; ſalutis.
Nunc age, et expediã quid nam ſatus ille Tonantis
Talibus Iſaciden viſis, & imagine ſcalæ,
Edocuit, quòue hæc poßint oſtenta referri.
Nam velut antè vndas mactati ritibus Agni
Se confeſſus erat coràm, Patribusq; retexit:
Sic quoq; pòſt vndas cœleſti deſuper arcu;
Et pelle inciſa circùm genitalia; & altæ
In ſcalæ gradibus; dumiq; virentis in igne;
Nubigena in ſtatua; fiſſæq; in imagine rupis;
Fataliq; throno, qui ſcrinia Legis obumbrat;
Suſpenſiq; altè forma ſerpentis ahenei,
Expreßit ſeſe, donec manifeſtus in Orbe
Emicuit, factis implens oracula vatum,
Occultasq; vmbras, ſimulacra, exempla, figuras.
Principiò geminam ſcalæ ſub imagine ſtirpem
Prodere viſus erat, venturaq; fata docere.
Nam quòd ſcala ſolo pedibus defigitur imis,
Atq; apice attingit cœlumq;, & ſydera fulcit:
Indicio eſt, quòd tu ſummi Patris ardua proles,
Vere Deus, viuens verbum, de lumine lumen,
Veri hominis carnem, vera oſſa in corpore vero
Accipies terris, noſtrisq; habitabis in oris
In medio noſtri, cognato ſanguine iunctus;
Et ſtirps vera Dei, ſtirpsq; edita virginis aluo

Conuenient

Conuenient vnà, nec erit reſolubilis vlla
Compage alterius, ſed iuncta ſtirpe duorum
Veri hominis, veriq́; Dei, tantùm vnicus ille
Dicetur Chriſtus, venietq́; ſalutifer Orbi.
Quanquam terra polo, quanq̃ pes vertice ſcalæ,
Immenſum diſtant, & ſtirps humana, Deiq́;
Diſcreta ſe ſorte tenent, nec viribus æquis
Autor agunt, & opus: tamen hæc vi Flaminis alti
Conſtituent vnum caſtæ ſub virginis aluo,
Diuerſumq́; & idem, geminumq́;, vnumq́; manebunt.
Atq; vt ſcala ſolum ſimul eſt amplexa, polumq́;,
Huncq́; apice, aſt illud pedibus deuinxit vtrinq́;:
Sic cœlum, terramq́; ſimul, patremq́;, hominesq́;
Iunxit amicitia, vinclisq́;, & ſanguine eodem,
Æternum fœdus componens inter vtrosq́;.
Hæc inimicitias terram inter, & inter Olympum
Labe hominum attractas, iam tollit ſcala viciſſim,
Autoremq́;, & opus gaudet compingere in iſto
Corporeo naſcente Deo; ceu flumine magno
Fortè ſuperueniens ripam pons iungit vtramq́;.
Ergo via eſt, & pons, & porta, & peruia ſcala,
Qua Pater omnipotens patefacti munere verbi
Ad nos ceu gradibus ſummo deſcendit Olympo,
Et nos aſcenſu petimus ſupera aſtra viciſſim.
Æternùm tenebris, & cæca mortis in vmbra
Conſcia gens latuit, nec erat ſpes vlla regreſſus.
Cùm Pater hanc ſortem miſerans, in regna profunda

Nobis mente ſua genitum demiſit ab alto
Eſſe viam vitæ, veramq; ad ſidera ſcalam.
Isq; necis vinclis hærens, & retibus Orci,
Quo non digreſſus facilis, lentæq; paludes,
Perſenſit morſus Colubri, triſteſq; labores.
Tertia lux aderat, ſpolijs Acherontis onuſtus
Ipſe vicem ſcalæ referens, captiua profundo
Extulit,atq; humeris ſubiens tulit agmina ad auras,
More viri,qui fortè iugis Samaridos errans
Semianimem offendit ſola inter luſtra iacentem,
Suppoſuitq; humeris,Bacchoq;,& Pallade pingui
Vulnera demulcens tectis induxit amicis:
Aut velut ille Ales fultos ferri obice poſtes
Intrauit, vincliſq;incluſum,& compede ahena
Exemit, noctuq; Petrum ſubuexit in auras:
Aut velut Ægypti quondam deduxit ab oris
Hæbræum populum, & Canaæ dedit arua colenda
Ipſe Dei natus ſub nube, & lampade præſens,
Qualis fulua Iouis volucris ſua pignora ad auras
Ætherias vectat,Solemq;,& ſidera monſtrat.
Sed quid ego alatas acies, atq; agmina cerno
Præpetibus pennis ſuperas ſe ferre per auras
Hinc,atq; hinc gradibus nixa,atq; hærentia ſcalis?
Quippe adſunt Chriſto, denſiq; feruntur in ipſum
Deſcenſu,referuntq; pedem,volitantq; frequentes
Ad ducis ora ſui, mandataq; iuſſa faceſſunt
Ordine quiſq; ſuo. Sic primus læta ferebat

Carmina virgineas Ales demiſſus ad aures.
Exin magna phalanx Chriſto veniente ſub auras
Sacra canunt, illum obſeruant, mirantur, & aſtant,
Scintillam ſilice excudunt, folijsq́ calentes
Suſcipiunt ignes, & vincunt lumine noctem,
Et frigus puero defendunt, viſcera velant,
Et fœnum, & duros fundunt cunabula flores.
Famam alij portant ouium, pecorisq́ magiſtris,
Et cœtu cinxêre polum, cantusq́ dedêre.
Ut venêre viri procul ex Oriente profecti
Munera ferre ſua, & cunas inuiſere regis:
Ecce illis fraudes aperit, ſimulataq́ vota
Herodis, cæcumq́ viri ſcelus omne retexit
In ſomnis puer ætherius, falſumq́ parentem
Cum puero Ægyptum petere, atq́ excedere mandat
Infido hoſpitio, & ſuſpectas linquere terras.
Nuſquam abſunt alij latere, atq́ aliena per arua
Deducunt fugientem, & ſeſe ad munia ſiſtunt.
Per deſerta alij ſtant præſtò, atq́ agmina iungunt
Cùm dictis animum labefactat Spiritus Orci.
Palladia in ſylua dictis ſolatur amicis
Languentem Dominum, et mæſtum citus erigit Ales.
Pro capite aſſiſtunt alij, pedibusq́ ſub imis
Compoſiti in tumulo remouent immobile ſaxum
Caſarie ambroſiam, facie ſpirante iuuentam,
Matronasq́ pias lætis rumoribus implent
Hunc iterum letho reuocatum in lumina vitæ.

Iamq́

Iamq; vbi ſublimi ſe corpore ferret ad auras
Nube caua inuectus, victoq; Acheronte triumphans:
Nubibus emicuêre vltrò, monitusq; dedêre,
Proſpectu abſtineant, nec Chriſtum in corpore quæ-
Extremum antè diem, mundiq; nouiſsima fata. (rant
At quicunq; cupit ſuperas euadere ad arces,
Et ſeſe inſerere, atq; humeris imponere Chriſti:
Is ſacris Verbi gradibus nitatur oportet,
Et fidei manibus teneat promiſſa Parentis
Ætherei, placidaq; innixus mente quieſcat.
Hac igitur nixi ſcala, gradibusq; prehenſis
Tendimus ad cælum, portamq; ſubimus Olympi
Labe hominum clauſam, ſed apertā ſanguine Chriſti.
Sic dulcem patriam, Canaaq; virentia tempe
Fas vidiſſe iterum, noſtraq; in imagine carnis
Compoſitum te nate Dei, iuxtaq; parentem
Læti animis, & luce noua luſtrabimus illic.
Nec morti locus vllus erit, ſed viua micabunt
Syderis in morem, aut Phœbææ lampadis inſtar
Corpora, nec priſcæ ſuberunt veſtigia labis.
O ſate mente Dei, mens ipſa, & imago Parentis,
O vitæ dator, ô mortis deſtructor, Auerni
O domitor, qui Semen ades de virgine cretum,
Dira terens Anguis capita, & fœcunda veneno
Colla premis pedibus, quos efferus ille viciſsim,
Hei, diro violat morſu, linguaq; nefanda
Virus atrox vomit, atq; inſonti ſanguine gaudet,

Si capiti

Si capiti neſcit, pedibus tamen inſtat, & audet
Vulnera ferre tuis, pedibus tu vulnera ſana
Facta tuis, preme colla truci, ſtygijq́ veneni
Vrentes inhibe morſus, ignitaq́ tela
Excute, in autoremq́ refer: tu numine firmes
Imparibus tendentem armis ſtygia agmina contrà;
Ceu feſſo Iſacidæ medio in diſcrimine lethi
Oſtenſus ſcalæ ſpecie, tua numina firmas,
Compellans dictis extorrem, & pectora mulcens.
Fer propius mihi te, miſeræ dum in turbine vitæ
In caput, inq́ pedes feror, excutiorq́ procellis
Præda mari in magno, reiectus, naufragus, expes,
Non portus, tabulæúe vllæ, non anchora reſtat,
Tu mihi ſcala veni, & medijs te in fluctibus offer
Oſtenſam cœlo, medio quam in turbine lethi
Arripiam, atq́ illa nitens in morte quieſcam.

IN NATALEM Domini.

NEC melior, nec maior erit ſapientia cœlo
Congreſſu in medio ſuperûm, niſi cernere vultu
Cùm dabitur propiore Deum, mirandaq́ vincla
Naturæ geminæ in Chriſto venientia in vnum
Mirari, & cauſſas ſcrutari fœderis huius.
Felix ô cui ſe manifeſta in luce videndam
Maieſtas æterna dabit; ſimul ille profanos

Arguet ore pio, toties nec Numine motos
Se pandente Orbi, ſignis, factisq́; ſtupendis,
Atq; voluntatem ſua per promiſſa docente,
Conuincet viſu: ſed tunc ſub vindice flamma
Conuinci æternùm tantos gens illa furores
Sentiet, & ſcelus æterna iam in morte refelli.
Intereà tamen ipſe Deûm rex eſſe piorum
Concilia in terris voluit, quæ ſpargere poſſent
Notitiam Nati, qui ne mortale periret
Omne genus, luſtrabat humum Deus æthere miſſus,
Ac hominem, labe excepta, ſeſe ore ferebat,
Quem pater ad pœnas ardens ob noſtra repoſcat
Deliquia, vt culpam hanc ipſius morte piaret,
Vnus pro multis qui fata impleret, & vltrò
Sanguine depoſito debentem vindicet Orbem,
Euerſo & lethi imperio, ſcelerisq́; nefandi,
Iuſtitiæ iam dona iterum, vitamq́; per altum
Æthera in antiquam ſortem ferat, & patris iram
Supplicibus ſuperet votis, flectatq́; precando.
Et modus eſt ſimplex, compendiaq́; vna ſuperſunt
Concilium quibus ipſe Pater ſibi cogere cælo
Humana de gente parat, dum munere Verbi
Per populos dat iura, viamq́; oſtendit Olympo
Voce ſacra, cuius medio de munere ſolùm
Filius in terris vires agit, intus & aſtans
Notitiam dat habere ſui, dehinc obſide Flatu
Fœderis obſignat leges, hocq́; omine firmat

Quæ pepigit dictis: aliter, non artibus vllis
Vincere, nec cæli poteris euadere ad auras.
Sed licet æternam ſeriem, & vim numinis alti,
Naturamq́, Dei, ſtirpemq́, in prole gemellam
Conductam nexu, tàm anguſto in lumine vitæ
Non acie aſſequimur, defectaq́, robore mens eſt:
Ipſe tamen noſtri generis velut induit artus,
Partem aliquam noſtri generis ſic ipſe docendo
Filius informat, ſignisq́, ita firmat, vt auſint
Et dictis adhibere fidem, & ſpem figere in illis,
Aſſenſuq́, ſequi monumenta tot edita cælo,
His licet obſiſtat circùm præcordia langor
Plurimus, aſſenſumq́, premat, tamen inſitus aluo
Non maturus adhuc alitur ceu fœtus, apertos
Per corylæ ductus, & tandem luminis vſum
Expectat: ſic ſorte data, velamine Verbi
Obtenti ſecurum agitant immuniter æuum,
Et ſacro impleti Flatu ſaturantur, & optant
Ire ad conſpectum cari genitoris, & auras
Lumine perfuſas cæleſti, & munere vitæ.
Intereà dum fata ſinunt, auraq́, fruuntur
Mortali, nec adhuc cæli ſunt luce recepti,
Primitijs ſtudij dedunt ſua pectora, & vltrò
Indulgent operis cæleſtibus: ipſaq́, tandem
Accipienda Fide cæleſtia munera norunt,
Quæq́, datur, dictis inhibent, & probra refellunt
Facta Deum contrà, ſtudijsq́, animis parati

 Vel

Vel mortem insignem Chriſti pro laude paciſci.
Quare agite, ô homines, quando ipſa volubilis anni
Tempora, tantarum renouant præconia rerum,
Mirandosq́ ortus pueri, iunctasq́ duorum
Naturas generum, ſecum, inter ſeq́ volutant
Cultores Chriſti, per quem noua commoda mundus
Obtinuit, quibus exciderat defectibus Adæ:
Nos etiam acciti tantarum ad munera rerum,
Parsq́ pij generis quod Verbi inuoluit amictu
Rex ſuperûm, præsensq́ ſuo cum numine firmat;
Linquamus terras animis, iuuat æthera mente
Concipere, atq́ ipſum votis expoſcere Chriſtum
Informet mentes, fatisq́ abſtruſa recludat,
Inq́ dies, incepta ſuæ primordia lucis
Prouehat, inq́ animis ſacrata ſuſcitet Aura,
Vt tantis vitæ in tenebris propiore fruamur
Notitiaq́ ſui, veroq́ leuamine cordis
Præſentem experti videamus numine amico.

At non hæc nullis animis opera alta Parentis
Expendat mortale genus, mentisq́ benignæ
Argumentum ingens, diuini & pignus amoris.
Nam quæ te cauſſæ miſerantem incommoda noſtra
Imperijs egêre ſuis deſcendere cælo,
Et noſtri generis tibi Chriſte inducere maſſam?

Humana ad nihilum penitus natura rediſſet
Victa, parata neci, ſi non ſint lata repentè

Conſilia, vt ſumens humanos Filius artus
Suſtentet noſtrum genus, atq; ita fœdere facto
Aſſereret maſſam hanc ab iniqua lege Tyranni.
Ergò etiam Iſaciden medio iam in turbine lethi
Verſantem, & natos fatorum arcana docentem,
Accipimus dixiſſe Silon de Virgine natum.
Nam fragili cinctus maſſa, fit & ille cruentæ
Aßimilis pelli, cùm crimina noſtra piaret.
Atq; illa ipſa Deus ſeruans velamina maſſæ
Indeiecta ſuæ, nos clauſos ſeruat in illis.

Deinde vbi iuſta Dei cenſura, atq; integer ordo
Iuſticiæ, impenſis pœnæ pro crimine triſti
Poſceret impleri: tùm ſors æquata ferebat,
Cùm genus humanum vetitos admiſerit auſus,
Vt quis in humana pœnam quoq; gente ſubiret.
At nec homo poterat rebus par eſſe gerendis,
Ni ſoboles æquæua Patri, mortalia membra
Suſciperet, tantaſq; vices abſolueret vltrò.
Præterea triplici deuinctus ſorte redemtor
Flaminis exercet munus; dum iuſſa parentis
Primus ad ora hominum vulgat: dum labra reſoluit
Pro miſeris conducta reis: dum ſiſtitur aris
Sacra ferens, noſtroſq; pians velut agna reatus.

Nullum adeò genus in terris, nullumúe creatum
Ire, redire vias adytis, atq; alta tueri
Mente poteſt conſulta Dei, nec corda rogantûm,

Non animum, mentemq́; Dei; Sed Filius aſtans
Æternùm inſpector, natusq́; ex corde Parentis,
Hic noua gratuitæ profert decreta ſalutis.
Dehinc vt ſorte pari precium pro crimine conſtet;
Veri hominis, veriq́; Dei ſe ſtirpe ferebat.
Deniq́; non ſat erat tàm dura expendere tantùm
Supplicia, atq́; extrema pati; ſed numine præſtans
Vt genus hominum ſtygijs ſeruaret ab vndis,
Ille metus omnes, hoſteſq́; Acheronte remiſſos
Suppoſuit pedibus, mortemq́; in iura redegit,
Omnia in antiquum referens quibus excidit Adam.
Verus & Immanuel, præſens & vbiq́; locorum
Agmina ſuſtentat cultorum, atq́; excipit vlnis
Ore fouens, vitamq́; animis ſolamine dicto
Lætus agit, monſtratq́; patrẽ, Patris inſtar in illo eſt,
Deq́; ſuo Flatu partem in pia pectora fundit.
Et dubitant homines amplecti hæc munera, &
Muneris auctorem fido ſupponere cordi? (ipſum
Salue nate Dei, tenui qui ſorte ſub Orbem
Veniſti, vt noſtram ſortem, & mala cuncta leuares,
Abiectusq́; lates inter ſtabula alta ferarum,
Vt nos excipiant ſpecioſa palatia cæli.
O ſate mente Dei, collapſam labe ſalutem
Qui reuehis nobis, æternaq́; munera reddis
Iuſticiæ, pulſumq́; hominem ſuper aſtra reponis,
Et nos, & tua dexter adi pede ſacra ſecundo.
Effice vt hoc anno ſæui inclementia Martis

Ter

Per maria, ac terras omnes compreſſa reſidat.
Immunem à cœli morbis, ſæuoq́; furore
Da patriam hanc; videas quo ſit diſcrimine rerum,
Hei miſera, & viduata ſuo rectore magiſtro,
Sole ſuo, ſtella felici, flore, corona,
Præſide, patrono, duce, dictatore Philippo,
Qui Patris, laudesq́; tuas prouexit in Orbe.
Nunc ô nunc dubijs tantùm ne deſice rebus.
Per te confecti curis, morboq́; leuamen
Accipiant, duce te contingant ſydera cœli.

Sed velut obtectum fœno, & præſepe latentem
Inquirunt reges extremo Oriente profecti,
Et pueri teneris fundunt munuſcula cunis:
Sic vos mente pia viles accedite cunas,
Officium Verbi; nec longè ſcilicet ille
Quærendus vobis, præſens agit omnia Verbo,
Illic, non alibi, Chriſti datur ora tueri,
Et penitus tanti ad regis peruadere honores.
Sed ſi qua eſt vſquàm pietas, ſi gratia reſtat,
Si quis amor regis tanti: date munera egenti
Cum puero matri, quiq́; ad præſepia Chriſti
Accincti perſtant, atq; in velamine Verbi
Obductum monſtrant populis dulci ore videndum:
Dij pia facta vident, & habent ſua præmia grati.

IN DIE MAGO-RVM.

ATtulerat Patribus tandem exoptantibus ætas
Aduentum, auxiliumq́ Dei, cùm ſtirpe reſultans
Germen Ieſſæo ſub mœnibus vrbis Ephratæ
Exijt in lucem, verus qui Beniamin eſſet
Præuiſus longè Iſacidæ, dum conderet illic
Rachelem dura Lucinæ ſorte ſolutam.
Stabat adhuc corpus digeſtum à Moſe; ſed illud
Rector Idumæus tenuit, ſceptriq́ potentis
Tranſtulit arbitrium; venerandaq́ iura refixit
Concilij auguſti: genitor ceu dicta reliquit
Iſacides, natos ſua quenq́ vt fata docebat.
Tunc facis aëriæ ductuq́, atq́ omine moti
Finibus exciti Perſarum, & Solis ab ortu
Longum iter ad Solymæ præluſtria regna parabant
Ora noui regis luſtrare, & tendere dextras.
Hi pectus coluêre ſuum Danielis ab arte,
Reģ ſacra exculti, & creti de ſtirpe Iapheti
Non generis ſignum Iudæo ex more tenebant
Inciſi ſaxo circùm genitalia acuto.
His labor, aſtrorum motus, rerumq́ latentes
Veſtigare vices, atq́ abdita quærere fata,
Quos dixêre Magos, deducto nomine ab Haga,
Quod vertêre viri, rimari, & voluere mente.
Non Arabes illi, nec erant de gente Sabæa,
Quæ medium ad Solem Solymis obuerſa iacebat;

Eōæ ſubiecta plagæ ſed Perſis miſit
Conſultos rerum naturæ, artiſq; repoſtæ.
Aſt vbi Perſarum terras iam Græcia victrix
Perdomuit bello; ſublato nomine priſco
Artificum, dixêre Sophos, quod tempore longo
Nomen apud veteres iam tum permanſit Achiuos,
Donec Pythagoras haud ſe dignatus honore
Nominis eximij, faſtu neq; turgidus vllo,
Primus amatorem Sophiæ ſe voce ferebat,
Se veritus dixiſſe Sophon, rerumq; peritum.
Quis ſcit an & nomen Latio ſermone magiſtri
Hiſce Magis veterum deſcendat origine vera?
Non illis rerum vires, nec ſidera tantùm
Quærere cura fuit, tacitaſq; expendere cauſſas;
Verùm etiam ſacras artes, & ſcita profeſſi
Vatis Idumæi, te primùm pectore toto
Mundi opifex, te nate Dei, rex maxime regum,
Quæſiuêre animis, qua gente, & origine cretus
Membra hominum ſumes, venieſq; ſalutifer Orbi.
Nam ventura videns Daniel, lateq; potentes
Perſarum domini, dio de Semine famam
Spargebant populis, longoq; ex ordine ductæ
Fata recenſebant ſoboli, gentiq; futuræ.
At quanuis demiſſa polo doctrina ſalutis
More viatoris per regna, per oppida tranſit,
Et curſum exercet non vllo in tramite fixa,
Sæpè etiam fucos doctorum, ſæpè Tyrannûm

Vim patitur, granisq́; herbæ miſcentur inanes:
Contrà ſæpè tamen doctrinæ norma, tenaxq́;
Regula iuſticiæ ludis inuenta Sophorum
Se tenuit, nulla verborum perlita fuco,
Ambages fugiens, ſimplex contenta doceri.
Haud aliam ob cauſſam quondã eueniſſe putandũ
Vt Vatis monumenta ſacri, quo turba leonum (eſt
Abſtinuit capto, per Perſica regna manerent
Cognita, & æternæ florerent didita famæ:
Qualis apud Graiûm ludos doctrina Iapheti
Parte aliqua Aſcræi Vatis peruenit ad æuum.
Illi igitur ſtudijs intenti, operumq́; labori,
Vt gaudent animo promiſſum inquirere Semen,
Quo duce, lapſa ſalus, & vita rediret in Orbem:
Ecce vltrò Deus, vltrò animis offertur, & illis
Obuius ingreditur, magnoq́; in honore viciſſim
Artis naturæ, tota cui mente ſtudebant,
Aëris in campis ſtellam apparere recentem
Inſolitum per iter iubet, inſuetoq́; tenore
Stella viam ſignans Eois euocat oris
Cultos arte viros, quorum intus lumine dio
Luſtratæ mentes iam tum ſenſêre dierum
Elapſam ſeriem, fatis quam computat olim
Conſcius arcani Daniel, tempusq́; futurum
Naſcendi regis tacita ratione recludit.
Stellam deinde ſuper fulgentem culmina tecti
Stare vident, ceu fortè loco defixus in vno

Aſtabat

Aſtabat Ioſuæ ſæua inter prælia Titan.
Vt ſeſe intulerant; genibus de more minores,
Et terræ inſtrati vultu, pacemq́; precantes
Accipiunt venerati animis de ſanguine Semi
Progenitum regem, pariter qui deinde Iaphitis
Lux, & vita foret, caſusq́; leuamen ad omnes.
Dona dehinc auri ponunt regiq́;, Deoq́;
Thura, ſacerdoti, graueolentis munera myrrhæ,
Ceu qui ferri acie fixus trabe fata ſubiret
Heu propria de gente manus, plantasq́; refoſſus,
Vix hominis ſpeciem ſeruans, ita ſanguine largo
Stillaret corpus, Daniel ceu prodidit olim.
Non igitur dubium eſt vera pietate repletos
Æuum egiſſe viros, quia nam præſentia cernunt
Numina luce noua liquidam affulgere per auram,
Natalemq́; aperire Dei procul orbe remotis
Extremo, quâ Solis equi primùm alma reportant
Lumina, & inſerto terras ſplendore ſerenant.
Pòſt etiam in ſomnis compellat vocibus vltrò,
Hisq́; aperit fraudes Deus, & diſcrimine nullo
Digreſſos Syriæ terris ad patria duxit
Arua procul, ſanctamq́; fidem, collataq́; dona
Tot ſerie annorum fama celebrauit in Orbe.
Quare agite ô iuuenes illorum exempla ſecuti,
Cum pietate Dei vera, pariterq́; beata
Notitia nati, doctis date tempora Muſis,
Et fandi tentate modos, exemplaq́; græca

Nocturna

Nocturna verſate manu, verſate diurna.
Tollite vos ab humo, vultusq́; affigite cælo,
Atq́; notate ignes illic, quæ inducere terris
Fata queant, variasq́; vices portendere rebus:
Ipſe ſui famam Deus has inſcripſit in artes:
Felix qui didicit naturam inquirere rerum.
Primus homo has primùm perfectè calluit artes,
Et tacitas rerum cauſſas cognouit, & vſus,
Atq; è fine ſuo poſuit ſua nomina rebus
Nondum animi luce obducta, caligine labis.

Sed quanquam lapſu miſerando tetra coorta eſt
Mente hominis nebula, & ſtygia caligine preſſa eſt:
At manſere tamen magna de luce relictæ
Scintillæ exiguæ, partesq́; è munere magno.
Nunc has ſopitas diuini Flaminis aura
Suſcitat, atq; vſus creber conſeruat, alitq́;.
Ergo qui cupiunt ſibi nomen ab arte parare
Ingenua, & palmam meritam cum laude referre:
Illi exercitijs acuant ſua pectora, & vſu
Nec ſe iudicio fugiant ſubmittere noſtro.
His ſua cùm dederint mihi nomina, more recepto,
Deferimus promtamq́; operam, pronumq́; fauorem.

CAPTI-

CAPTIVITAS CHRISTI.

STate viri,nunc veſtra locum,nunc veſtra meretu
Dictis oſtentata diu conſtantia laudem,
Et regem vobis veſtrum defendite vinclis,
Quà globus ille virûm denſiſsimus vrget in horto:
Tuq́; prior,tu ſiſte, quid ô te nomine tantùm
Fers rupem immotam, pedibusq́; ſimillimus auræ es?
At memini dudum ante alios fortiſsimus vnus
Dum tonat eloquio, & pariter comes ire per omnes
Exoptat caſus, populatumq́; aure miniſtrum
Enſe ferit,nunc ille animo deiectus, & horrens
Vnius ad vocem famulæ ſe turbidus aufert
Ex oculis, montisq́; exeſi conditus antro
Reſpectat tacitè, & lacrymis rigat ora profuſis.
Et quiſquam humanis vltrà ſpem ponat in armis?
Fortuna mutante vices,mutantur amici.
Ergo vbi deſerto media iam in nocte magiſtro
Arripuêre fugam ſocij: ruit omnis in vnum
Turba furens, vinclisq́; manus poſt terga reuinctas
Impediunt,& vim vinclis etiam inſuper addunt,
Ceu quondam ingenti fremitu ſe fundere circùm
Deprenſo latrone ſolet vis concita vulgi.
Armati circumſiſtunt, arctisq́; fatigant
Ad latera agminibus,nec reſpirare poteſtas.
O miſera,& non viſa prius ſpectacula rerum:
Sicnè Deo natum vinclis includier arctis,

Specta-

Spectatumq́; trahi paſſim per compita, & vrbem,
Tam benè peruerſa ſemper de gente merentem,
Hancq́; adeò ardentem, & cumulantem ſemper hono-
Quam Peluſiaci ſoluit de carcere regis? (re,
Vinculaq́; ille gerit, qui venerat arcta leuare
Vincla Erebi nobis, libertatemq́; referre.
Quòd ſi labe reus peregrina, vincula palmis
Dura tulit nobis quid ſontibus ergo futurum eſt?
Quandoquidem nos admiſſis ſuffiximus illum
In trabibus, nos admiſſis inflximus ipſi
Vulnera, & horrentem tulimus capiti inde coronam.
Os illud roſeum, quô ceu Sol cuncta ſerenat,
Quo Flammam Patris, atq; ſuam tranſpirat, & vl-
Conſilia eloquitur nobis, quoq; oſcula libat, (trò
Os illud, auri violarunt verbera pugni.
Brachia nempè quibus tepidis nos congregat alis,
Diuulſa à neruis extendimus, & calidum cor,
Quo nos inſertos geſtat, ceu fœtus in aluo
Inuolucris tegitur, penetrantis acumine ferri
Rupimus, & latebras vteri tentauimus haſta.
Nos etiam pedibus, ſtygium quibus atterit Anguem,
Queis noſtros hoſtes premit, atq; in puluere verſat
Proſubigens, fuluaq́; extentos calcat arena,
Coniunctim clauis terebrauimus in trabe dira.
Sed genitor natum eſt detrudi in vincula paſſus,
Scilicet vt mundum ſtygia de compede ſoluat,
Inq; lacu, qui ſqualet iners, haud conſcius vndæ,

Deuinctas

Deuinctas proauorum animas, emittat in auras.
Quòd ſi fortè Dei permiſſu vincula quondam
Crudelis furor inijceret, nil turpiter auſis;
Nos etiam haud duris animis vel vincla, vel ipſam
Suſtinuiſſe necem iuuet, vt ſua gloria Chriſto
Salua ſtet antè homines, & noſtro ſanguine fuſo
Doctrinæ ſit facta fides, rebusq́, ſacratis:
Qualis Tharſiacus iactat ſua vincula vates,
Quæq́, cruentato tulerat vibice flagella.
Sed ſoluunt Chriſti nos vincula: vincla piorum
Sunt teſtes tantùm quòd ſolùm liberet ille.
Nodoſi funes raſorum, aliæq́, catenæ
Nil niſi ſunt ficti cultus, & ſacra ſiniſtra,
Sacra ſiniſtra ſuo Chriſtum ſpoliantia honore.
Ergo vbi diſtracti comites, & vincula Chriſto
Iniecêre viri: tunc Hannæ ad limina ducunt,
Qui tum fortè nouo ritu, digeſtaq́, contrà
Iura Moſis, ſummas anno tractabat in illo
Sacrorum partes, cui dum placuiſſe laborat
Ipſe gener Caiphas, ſoceri tranſmittit in ædes
Conſtrictum ſanctos nodis ingentibus artus.
Illic conuenêre Patres, quos ſacra tiara
Obuelat frontem, quiq́, Vrbi iura miniſtrant,
Aut dictis pandunt occulta volumina Moſis:
Ceu cùm purpurei conſpectus honore galeri
Ordo patrum magno è Latio, Romaq́, profectus
Cogit concilia, & condit decreta ſalutis.

Nec gens vlla Dei natum trunculentius odit,
Vimq́ facit rebusq́ ſacris, & ſacra profeßi,
Quàm ſibi quæ titulos ex ſacris arrogat aris,
Docta Dei cultus ſimulare, & fingere vultum.
Sed quanuis crebris adeò conuentibus actis
Concilium cogat, ferrum inſuper addat, & ignem
Pontificum rabies: tamen hoc ſolamen habemus,
Te loca concilij, te magna palatia, & alta
Atria conuentus te primum Christe ſacraſſe.
Cùm rabidum ſtares ante agmen, & impius in te
Multa, Patremq́ tuum iaceret malè dicta ſenatus,
Tu placida verò perferres mente, nec vlla
Signa dabas iuſti quanquam, rectiq́ furoris,
Cœlèſti vltori mala compenſanda relinquens.
Iamq́ ferè terras animantia feſſa per omnes
Sepoſitis curis reparabant membra ſopore:
Ipſe in concilio ſera ſub nocte iubetur
Quid doceat, fari, & comitum quæ turba ſuorum.
At tunc dura dedit Chriſtus reſponſa roganti
Pontifici, iniuſtumq́ modum accuſauit agendi:
Non locus hic poſcit doctrinæ inquirere cauſam,
Ecquis adeſt qui me in crimen vocat? aut vbi teſtes,
Aut quibus indicijs peragor reus? obijcite ergo,
Si qua mea eſt, culpam, nec tu iam quære doceri,
Non docui ſine teſte, nec vlli incognitus iui
Præterea, aut veſtris ſubduxi vultibus ora.
Antè omnem infuſum populum, perq́ atria templi,

Atq; in Bethabaræ conuentibus, ora reſolui,
Et præcepta dedi, & qui ſim, ſum voce profeſſus.
Hos pete doctrinæ teſtes, & dicta repoſce,
Ex illis, ſi quid cupis, elice, deſine captum
Tentare, atq; aliquam quærendo extundere culpam,
Non mos iſte fori eſt, nec partes iudicis illæ.
Dic age ſi læſi quenquam, & qui criminis index,
Me me aſſum, ſi quid feci, ſi criminis vllus
Conuictum dabit, & pœnam meruiſſe probabit.
Hæc ita Pontifici: ſed non & dicta viciſſim
Herodi dabat, haud verbis dignatus amicis.
Sed dum obteſtantur, dictisq; ferociter vrgent
Vt qui ſit memoret, num dio ſanguine cretus,
Quidue ferat, quæ ſit porrò fiducia capto:
Tandem ſe confeſſus erat, tectisq; Pilatj
Dicta, iterans, numen manifeſta eſt voce profeſſus.
Diſcimus exemplo, quòd iniqui à iudicis ore,
Qui non legitimo deciderit ordine litem
Affectu cæcus, lucriue incenſus amore,
Fas, cauſſam ſub iudicium conferre potentum;
Virtutemq;, fidemq; ducum conquirere, nulla
Relligio vetuit, nec iura ſacrata repugnant.
Ergo vbi concilium Latialis cogere præſul
Audet, & in ſacris litem decidere rebus:
Si quis obire locum, & dicto parere recuſat,
Non culpanda facit: nanq; idem eſt actor, & idem
Arbiter, & Verbi pariter contemtor, & oſor,

Nec rectà aggreditur cauſam, ſed fretus opaca
Inſidijs noctis, regumq́ potentibus armis
Rem gerit, & ferro gaudet, non vincere verbo;
Diffidens cauſſæ, fraudem, & mala iurgia nectit.
Cùm ſic argueret Caipham, pariterq́ ſiniſtrum
Concilij morem, (quia partes iudicis vnà,
Actoriſq́ gerunt:) nec non iubet ordine teſtes
Dictorum audiri, dederat quæ plurima vulgo:
Ecce improuiſò vultum dicentis, & ora
Fœdabat pugno media inter verba ſatelles,
Et vocem hanc rumpit: Tené hæc tàm feruida dicta
Pontifici? & tales decuit te opponere voces?
Hei ſcelus immitis dextræ, roſea illa labella
Quæ violat pulſu, per quæ rapit oſcula, & Auræ
Ipſe ſuæ partem noſtra in præcordia ſpirat,
Per quæ dulce ſonat pactum, atq́ ediſſerit vltrò
Qui ſit amor noſtri, Patris & quæ certa voluntas,
Per quæ deinde facit pro noſtra vota ſalute,
Per quæ Tartareos validè flans deſtruit hoſtes.
Sors eadem Micham ſuſceperat; atq́ eadem ſors
Tharſiaca de gente ſatum; quibus ora, genaſq́
Pulſabat ſcelerata manus, plagamq́ ferebat.
Sed tu Chriſte tuis plagis quas ore tuliſti,
Ceu precio redimis Legis de verbere, & ipſo
A genio, plagam quondam, ſtragemq́ ferente
Fœtibus Ægypti primis, ſi noſtra cruore
Corda tuo ſignata rubent, munitaq́ perſtant.

Quippe tuis plagis non eſt præſentius vllum
Auxilium noſtris plagis, quas ſæpè potentes
Confeſsis tua ſacra parant infligere dextris.
Sed ne fortè tacens, violenta probare putetur
Auſa hominum, iniuſtasq́ minas ſtabilire ferendo;
Ecce alibi ſuperans nunquam ad ſua fata rebelles
Agnos, & ſi qua eſt ipſis fera lentior agnis,
Qui dictis, factisq́ docet ferre aſpera quæq́,
Nunc autem ingreditur actis grauioribus illi
Qui violare manu contra fas omne, piumq́,
Non veritus, vinctum nodis, ac reſte ligatum,
Dum cauſa indicta eſt, nec adhuc de crimine conſtat.
Si quid ego aſperius, quàm fas erat, ore locutus;
En age conuincas iuſta ratione; quis index
Criminis, aut teſtes vbi ſunt? hic ſiſtimur, inquit,
Iudicio: ſin recta loquor, quid me improbe pergis
Immeritum pulſare manu, & vim ferre ligato?
Talibus inceßit violentos iudicis actus,
Lictorisq́ feri plagam, & conuicia linguæ,
Nocte quibus tota riſu eſt exceptus amaro,
Donec purpureum iubar extulit Oceano Sol,
Qui mox ad domini inferias expalluit ore,
Et ſcelus horrendum exoſus ſe auertit, & vmbris
Delituit, triſtiq́ caput ferrugine texit;
Omnia quæ nobis fatorum arcana canebat
Ille Deo plenus vates quem eduxerat Amos.
Nanq́ fore, vt plagis corpus daret obuius vltrò,

Os, roſeaſq́; genas pugnis, faciemq́; decoram
Haud ignominijs ſubduceret, aut ſua retrò
A ſputo abſtraheret fœdantûm turpiter ora,
Sed faciem aduerſam ad crebros exponeret ictus,
Ac ſi dura ſilex ſtaret, præruptaue cautes:
Omnia quæ ob noſtram tulit inſons ille ſalutem
In ſeſe vertens pœnam quam attraximus ipſi.
Ergo ne teneras violemus verbere malas
Fœdantes turpi illuuie, ſpurcaúe ſaliua:
Sed cupidè affixi roſeis ſancta oſcula labris,
Non tamen vt Iudas falſi ſimulator amoris,
Vera nempè fide, & vero libemus amore
Oſcula: ſic cœli ſaluos in regna reponet,
Et ſuperûm aſpectu dabit, & ſermone potiri
Certa recompenſans æternæ gaudia vitæ.

IN RESVRRECTIONEM DOMINI.

VEnit ſacra dies, nec non venerabile tempus,
Quo Chriſtus trepidi ſpolijs Acherontis onuſtus
Extulerat tellure caput: cùm conſcia tellus
Signa daret, magno ſubitò concuſſa fragore.
Antè quidem mœſto trepidabat murmure, & almos
Sciſſa ſinus, domini lugebat funus ademti:
Nunc plauſus teſtata ſuos facit incita geſtum,
Vt cùm Niliacis exit gens libera ab oris,

Ad domini vultum trepidans, imiſq́ repentè
Subſultans venis, præſenti numine mota eſt.
Primi de magno genus Iſraëli creati
Cùm iam ſeruitio vellent exire ſuperbi
Regis, & ad Canaæ fatalia tendere rura,
Seruauêre diem ſolenni more ſacrorum,
Accinctiq́ viæ pariter, dapibusq́ futuris
Admouêre focis ſolidum, & ſine partibus agnum.
Hinc pia gens, ſupera pariter quæ luce potitur,
Quæq́ ſacrum terris cœtum colit, & pia latè
Iura ſonat populis, nunc tot voluentibus annis
Seruauit ritum, tempusq́ hoc mente reuoluit,
Quo ſublata virûm manibus Patris altæ propago
Hoſtia conciderat, ſceleri velut agna piando,
Perſoluitq́ Deo grates, quòd victus amore
Ingenti natum cælo demiſerit alto
Ferre vices vltò miſerorum, & pendere pœnas,
Atq́ iram lenire Patris, medioq́ venire.
Ergò agite, agminibus tantis quæ nunc quoq́ cælo,
Quæ terris celebrant tempusq́, & temporis acta,
Addamur comites, eademq́ ad ſacra feramur
Diuinis meritis inducti ad præmia laudum.
Quò fieri id poßit, paucis, aduerte, docebo;
Tu caue transuerſum ne te impetus in vada pellat
Cæca voluptatum, furiarumq́ obruat æſtu.
Luxibus imbutæ mentes, actæq́ furore,
Non intentè adeò diuina oracula voluunt.

Ergò Dei ardorem nullum, nec vota, preceſq;
Concipiunt rectè: Quis enim cupido ardet amore,
Cuius non meritum, nec mentem agnouerit in ſe?
Si qua igitur maſſa eſt fermenti ex felle relicta,
Mentibus hanc abolete pijs, & polline dulci
Imbuite, & ſanctis traducite legibus æuum.
Caſta placent ſuperis: nam feſta luce madere,
Eſt pudor, vltriceſq; aſtant ad crimina Diræ.
Non igitur tantùm ſummi benefacta Parentis,
Quantùm etiam ingentes iras perpendere fas eſt,
Iras, quas genitor primo, quas deinde ſupremo
Tempore, cùm feſti gauderent ritibus agni
Iſacidæ, miris tum declarauerit auſis.
Antè quidem, rubras auſus tranſire per vndas
Ægypti populus, reuoluto gurgitis aluêo
Vertitur in præceps, ſimul arma hauſtura cruorem
Tum pelagi rubros epotauêre liquores,
Purpureaſq; animas excepit concolor vnda.
Pòſt vbi ſupremùm peragebant ſacra per vrbem
Dulcibus in libis Solymi, luctuq; ſoluto:
En Solymæ, mundi decus, & pulcerrima rerum,
Militibus cincta eſt, valliſq; obſeſſa profundis.
Primo nanq; die, quo gens Hebræa quotannis
Dulcibus indulget libis, & veſcitur agno:
Continuò Solymam magno Titus agmine ad vrbem
Irruit, occluditq; aditus, omneſq; receptus:
Intus polluitur cognato ſanguine templum,

Atq;

Atq; inteſtino feruet Bellona tumultu.
Sic gens illa luit pœnas: luet impia pœnas
Gens etiam porrò, verum quæ ſpreuerit Agnum,
Quem Pater humana voluit pro labe litari
Omnibus immunem maculis, & ſorde reatus.
At velut hoc tempus, facti de nomine Phaſe,
Dicitur Hebræis, quia nam tranſibat in omnes
Ægypti tractus per ſera crepuſcula noctis,
Et gelido fœtus multabat funere primos,
Iſaciæ tantùm ſeruans pia ſemina gentis:
Haud aliter tranſit Chriſtus per ſecula mundi
Agmina conſcribens Verbo, conſcriptaq; ſeruans
Caſibus in lethi mediјs, cùm noxia contrà
Gens ruat in pœnas feruore oppreſſa Tonantis.
His moniti pœnis, mores abolere ſiniſtros
Cura ſit, & votis animum accendamus anhelis,
Fortè recenſeri numero ſi tendimus horum,
Quos & fatali reliquorum à clade reſeruat
Ipſe Deus, præſensq; ſuo cùm numine firmat,
Et quibus in foribus ſtant agni ſanguine poſtes
Perfuſi, certæ monumentum inſigne ſalutis.
Quin & magnifico tàm feſtæ lucis honore,
Quam gens ipſa poli nobiſcum laude frequentat,
Moti animis, vitæ curſum ingrediamur honeſtum,
Nec cuiquam dictis certemus, nec malè factis:
Omnia ſint operata Deo; mens computet intus,
Lingua foris reſonet diuinæ munera laudis.

 Nunc

Nunc etiam tempus verni ſub ſyderis ortu
Ipſe animo reuocans Abel, crudelia fratris
Auſa ſui, tota ſuperûm miſerante caterua
Exponit dictis, & triſtia fata recenſet.
Iſacus hinc ſua ſacra refert ſub tempore verno,
Vtq́, Pater certos librans iam brachia ad ictus
Suppoſitum ferijt nati pro cæde bidentem.
Tum canit & Pharij Moſes iuga barbara regis,
Et noctem extremam qua gentem eduxit ab illo
Præuius ipſe λόγος, rubriq́, per æquoris vndas
Fecit iter: memorat curruſq́, & naufraga tela,
Ipſumq́, in pelagi cinctum refluentibus vndis
Regem præcipiti vada conuertiſſe ruina.
Excipit hinc Ioſuas, fiſſa quòd Iordanis vnda
Tranſierit, ſiccoq́, gradu traiecerit amnem,
Quando tubæ ſonitu Iericho concuſſa ruinam
Traxerit, incumbenſq́, viros demiſerit Orco.
Quin etiam Lothus diſceſſum narrat ab vrbe
Ipſe ſuum, Sodomenq́, abſumtam ſulfuris igne:
Quæ, quia conueniunt ſub eodem tempore facta,
Ominibus pulcris certa argumenta ferebant
Chriſte tui, qui duram obiens hoc tempore mortem
Per nigros Erebi tractus ad regna parentis
Tranſiſti, & fidum genus, Iſraëlis alumnos,
Eduxti tenebris ad cœli florida tempe.
Hic grandæuus Adam, nec non pulcerrima rurſus
Eua, parens noſtri generis, dulciſſima fundunt

Colloquia

Colloquia inter ſe; Quòd ſit mortalis ademta
Conditio, & qui ſint rediuiuæ carnis honores.
Multi prætereà ſocio ſermone fruuntur,
Quadraginta illis viſi qui ſæpè diebus
Vrbem intrà Solymam ſanctis congreßibus vtj,
Et matrem innuptam, Chriſtiq́ inuiſere alumnos.
Complexi inter ſe nocteſq́,dieſq́ trahebant
Dulcibus in dictis pariter, grateſq́ ferebant
Cælicolûm regi, diuinaq́ facta canebant.
Non aliud tempus mundi felicius vllum
Admiranda magis vidit ſpectacula rerum,
Quàm quo victor ouans referens veſtigia ab Orco
Dulcia cum ſocijs habuit commertia Chriſtus;
Quorum adeò meminiſſe iuuat, quia tempora vitæ
Poſt obitum ſupereſſe docent, iuſtumq́ tribunal.
Mos etiam iſte fuit, quoties hæc ſacra parabant
Annua præteriti recolentes temporis acta,
Munificam conferre ſtipem, ſacrumq́ tueri
Doctrinæ officium, ſacræq́ operantibus aræ
Victu proſpicere, & ſortem releuare malignam.
Hunc morem teneant, & ad aram munera ponant
Addicti Muſis: quia nam referenda miniſtris
Gratia, qui dictis cæleſtia ſacra propagant,
Et verbi lucem mundi in caligine ſpargunt,
Lucem, quæ miſeris aditus ad limina cæli,
Diuorumq́ aperit patriam, ſedeſq́ beatas.
Luce ſub hac equidem, quæ quinquageſima ſacram

 Anteibat

IN PENTECOSTEN.

Anteibat lucem, qua Lex de vertice Sinæ
Inſonuit, frugum primos offerre maniplos
Sunt ſoliti Patres: populum quo more docebant,
Primùm te liquidas rediturum in luminis auras
Nate Dei, fratrum ex numero quos terra recondit
Depoſitos, ceu grana imis concredita ſulcis;
Donec tempus erit, quo ſe dabit integra meſſis,
Granaq́, collectiq́ omnes in faſce manipli
Conſertim ſuperi referentur in horrea cœli.
At lolium infelix, & caſſas frugibus herbas,
Vulnificosq́ rubos, & acutis germina ſpinis,
Meſſores Erebi curua cum falce ſecabunt,
Grandibus & plauſtris cumulum conuecta ſub vnũ
Materiem flammis tradent ſub nocte profunda.

IN PENTECO-STEN.

HÆC eſt illa dies, qua magni conditor Orbis
Inſuetos auſus, & non imitabile factum
Bis ſolitam contrà ſortem, rerumq́ tenorem
Perficiens, certo populis dedit omine ſigna,
Quæ tunc conuincant animos, ſubigantq́ fateri
Eſſe Deum, qui res hominum cunctaq́ regatq́;
Doctrinæq́ genus, miris quod prodidit auſis,
Ortum de cœlo trahere, immotumq́ manere,
Vltoremq́ Deum iuſtas conſurgere in iras,

Sic vbi neglectum, vel ſi faſtidia paſſum eſt.
Primò equidem, magna cùm tempeſtate coörta
Inciſam tabulis adamante, & marmore factis
Propoſuit Legem, claraq́ eſt voce profeſſus,
Cùm mons de cælo tactus tremere vndiq́ viſus,
Saxaq́, flammarumq́ globos effundere ad auras,
Et mixtæ in fumo paßim volitare fauillæ,
Cùm ſilet omne metu vulgus, pedibusq́ ſaluti
Conſulit, atq́ alium exoptat, votisq́ requirit
Qui veniat medio, cui vox ſit blandior, & cui
Mellis in ore ſapor, nec amara, atq́ aſpera verba;
Nempè Dei natum, blando cui gratia in ore
Dulce ſonat pactum veniæ, grataq́ ſalutis.
Nam licet eſt animis noſtris in origine prima
Inſita notities Legis, lux addita menti:
Hanc genitor tamen ingenti clamore per auras
Ingeminans, iterum diuino eſt ore locutus;
Ne tantis animi in tenebris obliuia nobis
Surrepant huius, cæcoq́ è pectore manet:
Vtq́ homines exactum habeant, quòd mente reful-
Notities Legis concreta in origine prima (gens
Sit radius lucis diuina è mente reſultans.
Prætereà antè homines vt maius pondus haberet,
Cùm ſcirent ſupera prolatam ex arce Tonantis
Voce noua terris ſonuiſſe, & iura dediſſe
Tàm celebri pompa, ac amplo ſplendore peracto,
Tot ſignis cælo mißis, tot grandibus auſis,

Ventorum

Ventorum in flabris, & tempeſtatibus atris.
Dehinc vice poſtrema, cùm iam promiſſa priora,
Atq; vmbras Legis, factis explere volebat
Iura nouæ Legis Deus in præcordia ſcribens,
Vnde Patrem nôrint, cari qui munere nati
Gratuitò veniam reddat, certamq; ſalutem:
Tum ſubito complens penetralia fulgure lucis,
Irradiansq; ſuper flammantis imagine linguæ,
Ventorumq; ſonis, manifeſto numine viſus
Spiritus effundi ſacer, atq; in pectora mitti
Agminis ingentis quod cœlica verba ſonabat,
Quodq; animis fidis ea cœlica verba bibebat.
Lex prior, horrendo in ſonitu, flammaq; vorante
Facta reuelabat noſtra, in crimenq; vocabat,
Corda terens ferri incuſſu, quatiensq; tremore,
Et letho damnans homines, hominumq; labores,
Æternisq; Erebi flammis, & carcere mergens.
Altera Lex, blando in ſonitu, flammaq; fouente
Prona fauore ſuo tutelam præſtat, & aſtat
Partibus à noſtris, Chriſtiq; cruore lituram
Inducit factis, penitusq; adoperta recondit,
Corda nouans iterum, & vitæ ſpiracula ſufflans,
Inq; fide Chriſti ſcelerum de lege reſoluens.
Nam quacunq; Dei ſe Spiritus exerit intus;
Hîc noua libertas immunia corda tuetur,
Ne diras Legis patiantur, & aſpera vota.
Ille nouum pactum gratæ per verba ſalutis,

Per

Per quæ robur agit, viresq́ in pectore præſtat,
Detulit è cælo ſecum, & noua fœdera ſanxit,
Exoluitq́ iugo Legis, quæ munere acerbo
Perfungens triſti damnabat pectora letho.
Hic rurſum expediit vinclis, vitamq́ viciſſim
Inſerit, & ſancta dat libertate potiri,
Officijq́ in ſorte ſui te Chriſte, tuasq́
Exhibet ille mihi partas pro ſanguine gazas,
Conuincitq́ animum, & trepidantia pectora firmat
Iam mihi cæleſtem rurſum aſpirare fauorem,
Præſentemq́ Deum rurſum accepiſſe benignum
In miſeros animum, atq́ iras miſiſſe priores.
Ergo agite & grates tanto pro munere agamus,
Et superûm ingentem dictis celebremus amorem
Tot ſignis hominum generi, donisq́ probatum.
Nam genitor noſtros cùm primùm effingeret ar-
Eſſe ſuæ voluit ſimulacrum mentis in illis. (tus,
Ergo boni radios proprij, quibus eminet auctor,
Fudit in hos, fecitq́ pari cum ſorte tenere.
Nanq́ creaturam dia ratione potentem
Ipſe ſibi ſedem delegit ab omnibus vnam,
Atq́ opere exacto mundi requieuit in illa.
An non ergo homines genitorē arſiſſe putandū eſt,
Si mentis ſimulacra ſuæ, bona ſumma, creator
Impreſſit, dederatq́ ipſis communiter vti?
Illi vbi iam decus hoc Stygio illudente colubro
Excuſſêre animo, & priſcum amisêre vigorem,
Iamq́

Iamq; æſtus ſentire Dei, & ſub mole perire
Inciperent fontes animæ, fatiſq; repulſæ:
Confeſtim medio venit, & Nati emicat ardor,
Quòd lapſis hominum ſeſe interponere rebus,
Et conatus erat Patris procumbere ad ora
Expoſcens pacem, noſtræq; in imagine carnis
Supplicia in ſe vnum recipit, iam iamq; labantem,
Iamq; fatiſcentem ſuſtentans numine maſſam
Culpæ mole leuat, Ditiſq; immania facta
Victor ouans premit, atq; haurit mortẽ ipſe triumpho.
Sed precibus, factiſq; ſacris iam in ſanguine fuſo
Cùm placatus erat Pater, & grauis ira reſedit:
Tunc immenſus amor laxis ſe effundit habenis
Ætherei Flatus, quando præcordia noſtra
Occupat, & vinclum, nexuſq;, & copula amoris
Inſinuans ſeſe, & noſtro ſe pectore miſcens
Aſſociat noſtræ cæleſtia numina maſſæ,
Dat vitam, dat opes cæli, corq; erigit altè
Lætitiam irrorans, & iam mens lumine Flatus
Ipſius ora Dei cernit, mentemq; repoſtam.
Intus agit calor ætherius, feruentq; ſub ipſo
Pectore diuini motus, & protinus ipſis
Halitibus puris vitali è fonte refuſis
Inſinuat ſeſe ſacer Halitus, & ſua miſcet
Flamina, & ad normam Legis pia pectora, & ipſum
Totum hominem flectit, rectoq; ita tramitẽ ducit.
Nil homini dare maius habet diuina poteſtas,

Quàm

Quàm quòd ſe penitus noſtra in præcordia fundit,
Diſtractoſq; olim, nunc nos ſibi numine iungit.
Sed licet haud vlli conceſſum hoc tempore vitæ
Tàm magna anguſto complecti pectore dona:
Prima rudimenta, & primas haud ſegniter oras
Fas tetigiſſe tamen, docilemq; inflectere mentem
Ad ſacras artes hac in caligine vitæ;
Donec contigerit mortali corpore functis
Ore ſacro Chriſti pendere, & diſcere cauſſas.
Intereà ductu vitam meliore regamus
Pertæſi culpæ veteris, morumq; priorum,
Nec ſecura adeò geſtemus pectora pœnæ.
Diſce tuas miſer ærumnas, & reſpice tandem
Qualibus in tenebris degas: via prima ſalutis
Noſſe ſuos morbos. Quin tot circumſpice caſus
Magnanimûm herorum qui non pia facta ſecuti
In ſcelera, in pœnas fatali turbine aguntur
Caſſi ope diuina, & ſacri rectoris egentes.
Quam ruit, & quanto implicuit ſe crimine Saules,
Ieſſidesq; potens, Salomonq; potentior illo,
Securi dum fortè Dei, pœnæq; vagantur?
Sed nos ſollicitos aliena pericula reddant,
Ne ſanctum nocuo pellamus pectore Flatum.
Hoc ſine, nil recti mens concipit, actaq; in auras
Irrita eunt, pereunt hominum ſtudia, atq; labores,
Is ſi operi deſit: Quia nam fauor omnis ab ipſo
Depluit in terras, ſuntq; ipſius omnia plena
Muneribus:

Muneribus: felix, cui cepto aſsiſtit eodem.
Tunc autem ille animis noſtris ſe immittit ab alto,
Tunc vires agit, & dat vinci neſcia corda,
Cùm tecum repetis diuina oracula Verbi,
Promiſsiſq; Dei firmis adſenſibus hæres,
Et pulcram exerces generoſo in pectore luctam.
Sic veniam ſceleri præſtat Spirabile numen,
Tutaturq; tuas partes iuſtum ante tribunal,
Ne cauſſa cadere, aut pugnæ ſuccumbere poſsis.
Qui negat ergo fidem ſacris adhibere miniſtris,
Cùm veniæ vocem gratis, ſed ſanguine partam
Chriſte tuo, dulci ore ſonant, & crimine ſoluunt:
Is ſcelus in ſacrum gaudet committere Flatum,
Et pedibus munus premere, & ſurda excutere aure
Sanguinis hei precio lucrata, receptaq; dona.
Nam vox illa ſonans gratæ præcepta ſalutis,
Flatus officium eſt, is munere fungitur illo.
His igitur ſcelerum manet irreſolubile vinclum,
Æternoq; cadunt confixi vulnere mortis.
Ergo doctrinæ vocem reuerenter habete,
Qua ſine nec ſacri contingent munera Flatus,
Nec veniam accipiet quiſquam, nec dona ſalutis,
Tàm caro precio, tam ſancto ſanguine parta.
Ut tamen & gratæ mentis monumenta ſuperſint,
Et ſuus extet honos, & gratia digna miniſtris,
Qui res diuinas, & ſacra negocia tractant;
Viq; propagetur munus cæleſte docendi,

Nec deſit victus ratio his qui ſacra miniſtrant:
Pro re quiſq; ſua deponat munus ad aram.
His vitæ officijs, & nullo crimine morum
Quiſq; probet ſedem eſſe ſacri ſua pectora Flatus.

IN FESTO PASCHATOS.

EXpectata dies venit, pulcramq; ſerena
Auroram Phaëtontis equi cum luce miniſtrant
Poſt tantas ventorum iras, & triſtia monſtra
Viſa polo varijs clades præludere formis:
Poſtq; tot exhauſtos noſtra in ſtatione labores,
Dum premit hunc ærumna domi, ſors aſpera cordi eſt
Huic foris, & rerum impendens manifeſta ruina
Quocunq; aſpicias: & ſic redit actus in orbem
Humanus labor, & cladi ſubit altera clades.
Et meritò, quid enim dextri ſperare licebit
Confuſa in rerum forma, tantiſq; periclis?
Verùm, omnis dolor hinc, atq; omnis cura faceſſat,
Plus emendando gaudent, quàm multa dolendo
Numina: ſi poſt hac vitam melioribus auſis
Ingredimur, duris ſuccedent mollia rebus.
Et lux illa quidem tot gaudia cordibus affert,
Omnis vt ærumnæ vacua, atq; expertia curæ
Dulces lætitia iactent ad ſidera voces,
Quam ſatus ipſe Deo decoratam inſignibus auſis

Illuſtrem fama longè ſuper æthera vexit,
Vt vox nulla auſit laudes æquare canendo.

Tempore nanq; illo rubræ de ſemine terræ
Factus homo autoris ſimulacrum in mente gerebat:
Et DEVS in puræ conceptus virginis aluo eſt,
Flatus obumbrabat cùm numinis: ignis & alto
Æthere compulſus picea caligine ſontes
Inuoluit Sodomas, & flammas inter anhelas
Expedijt Lothus greſſum, vimq; exijt omnem:
Et gens Iſacidûm ſicco pede tranſijt æquor
Purpureum, ſæui fugiens iuga dura Tyranni,
Et ducente Dei nato data fata ſecuta eſt
Per fiſſas Iordanis aquas, cùm magna virûm vis
Signa ſequens regis Pharij, ſubuerſa procellis
In medijs, latices epotauêre marinos,
Atq; atro luxêre igni freta cærula, & altè
Intonuit cœlum, tremuitq; exterrita tellus.
Quiq; olim tres antè dies pro crimine mundi
Hoſtia conciderat ſignatus patribus Agnus,
Luce ſub hac iterum Lethæis victor ab vmbris
Vi propria ad ſuperas tumulo ſeſe extulit auras
Iuſticiæ ſpolia ampla ferens mortalibus ægris,
(Humanum tanti fuerat genus;) arduus ex quo
Sub pedibus preſſit lethum, abſumſitq; triumpho,
Disiectæq; Erebi moles cum vectibus æreis
Obnixæ crepuêre, & centum vinctus ahenis

Poſt

Poſt tergum nodis ſedet atri ſpiritus Orci
Aſper, acerbà fremens. ſparſoq́ infecta cerebro
Vincla tuens, implet diris vlulatibus vmbras.
Sed vincla incluſit vinclis, Chriſtusq́ per auras
Spectatum ſublimè tulit, defunctaq́ vita
Corpora multa patrum ruptis excita ſepulcris
Reſtituit ſecum iucunda ad lumina vitæ,
Promeritus nobis rediuiuum carnis honorem,
Perſimilemq́ ſibi formam, rapidumq́ vigorem,
Et claros artus, ſecuraq́ membra dolorum.

Nam caro, peccati maſſa, vt concepta ſub aluo eſt,
Inq́ auras producta trahit nunc duriter æuum:
In terram redigi debet, rurſumq́ reſolui
In cinerem, mandante Deo; Quia labis inhæret
Plurimùm adhuc animis, ſtimulatq́ cupido ſuperſtes,
Et prius in foueis abſconſi, corpora ſomno
Sternere oportet humi, donec de corpore putri,
Et cinere informi, tandem noua corpora Chriſtus
Efficiet, puri radijs certantia Phœbi,
Ceu qui de cinerum maßis vitra lucida conflant:
Atq́ nouis iterum exuuijs, nitidisq́ iuuenta
Conteget oſſa hominum, florentia graminis inſtar.
Sed qui compoſiti letho in tellure quiêrunt,
Ollis ſomnum ingens rumpet canor, oſſaq́, & artus
Permixti inter ſe ſua quiq́ ad membra redibunt,
Et nutu citius ſupera ad conuexa leuati,

Tranſlatis olim ad ſuperos in corpore viuo
Obuia perpetuò iungent commercia cælo.
Pro quibus, vt dignũ eſt hodiè perſoluere grates;
Cultorum gens omnis, & agmina flammea cæli
Dulciſonas ſoluunt Chriſti in præconia linguas,
Huncq; diem ſaluere iubent, lætumq; per Orbem
Apparere pijs iterumq; iterumq; precantur,
Et cantum ingeminant chordis, & voce ſequuntur:
Victior iò, bellator iò, dux ætheris alti,
Sis bonus ô, felixq; tuis, te te arbiter Orci,
Te Stygij tremuêre lacus; tu vincla leuabas
Agmina, & immiſſo trepidabant lumine manes.
Tartareum ipſe manu ſerpentem in vincla trahebas;
Dux quanquàm gregis; âtq; inuictus viribus eſſet.
Tu patrum manes Erebo deducere adortus,
Tu mortis truncaſti aciem, quâ fecerat ictus,
Nec vim tela ferunt vltrà; nec amara ſapore eſt
Amplius; in dulcem vertiſti nanq; ſoporem.
Nec canis inferno proiectus corpore in antro
Latratum exercet, nec morſibus appetit vmbras.
Veniſti tandem; tuaq; exoptata redemtor,
Ora refers patribus, qui te magno ore vocabant
Languentes deſiderio ſub nocte profunda,
Vt tecum è ſicco transferres gurgite ad auras
Fortunatorum nemorum, ſedesq; beatas,
Reſpiciens clauſos tenebris, & carcere cæco.
Et ſic voce canunt: reſponſant ardua cæli

Conuexa

Conuexa, & cantu longè, latèq́; reſultant.
Ergo agite ô homines ſacris præſentibus acti
Fermento luſtrate animos, ſint neſcia fellis
Pectora, ſincerum quæ relligionis amorem
Amplexa, in puris traducant moribus æuum.
Eſte pij, placidiq́;, Fidemq́; oſtendite factis,
Nec ſeruilem animum gerite, & ſubmittite culpæ,
Libera gens eſtis; ſacra nam Chriſtus in ara
In mortem noſtra pro libertate cadebat.

IN PENTECO-STEN.

SI quando curas humiles, terramq́; peroſus
In ſublime volas, adytisq́; inſiſtere cœli
Mente iuuat, voluisq́; Dei monumenta peracta:
Aut recitas Fidei capita; & tres ordine certo
Perſonas, ſed numen idem per vota fateris:
Ecquid ad officium laudis, gratesq́; ferendas
Verteris, vt primùm ſubeunt ingentia ſummi
Dona Dei, quæ multa pius mortalibus ægris
Nec numero, nec fine vllo largitur ab alto,
Dum vitam informi primus tibi fictor, & auctor
Intus agit, penitusq́; fouens producit in auras:
Et natum vnigenam demittit ab æthere ſummo
In terras, vt morte ſua genus omne piaret
Mortale, & cœli faceret ditione potiri,

Spiramenq́; ſacrum, quod vtriq́; eſt numine compar,
Donat habere pijs, & teſtem, & pignus amoris,
Et cœli bona, & æternæ commercia vitæ.
Altius hæc, quicunq́; vacas in vota, preceſq́;,
Sunt verſanda animis, nec non opera ædita cœlo
Intenta penetrare acie, & luſtrare neceſſe eſt,
Atq́; fatigandus genitor prece, quò bonæ vitæ
Præſidio leuet, ipſe auctor rerumq́;, hominumq́;
Et natum ob medium (ſolum quem propter amore
Proſequitur mortale genus regnator Olympi,)
Excipiat miſeros patris indulgentia ſummi,
Et per inacceſſas tenebras, flexusq́; viarum
Oblitos rectiq́;, boniq́;, & falſa ſecutos,
Reſtituat, lucemq́; iſtam mortalibus ægris
Ignotam accendat, Flatuq́; regente ſacrato
Pandat iter verum dubijs, curſumq́; gubernet,
Et puram affundat deterſis mentibus Auram:
Quandoquidem noſter vigor, & vis corruat omnis
Hauſta citò, incaſſùmq́; abeant opera, atq́; labores,
Ni propius celerans greſſum, et ſua numina firmans
Spiritus intus agat, totosq́; infuſus in artus
Expediat molem rerum, euentusq́; miniſtret.
Nam cùm ſe obijciunt animis diſcrimina noſtris
Multa modis multis, occultusq́; imminet hoſtis,
Et nunc hos aditus, nunc illos arte pererrat,
Semper & aduerſis nitens caro pugnat habenis
In ſuperûm leges; medio tum in turbine rerum

Spiritus

Spiritus adſulget feſsis, atq; irrita frangit
Tentamenta, ſuoq; magis nos robore fulcit
Præſtans tutelam, & rebus ſolatia in arctis.
Ergo agite, & quoniã Chriſto gens dedita paßim
Hos celebrat de more dies, totumq; per Orbem
Iam recolit veteres patefacti Numinis actus
Legis in exhibitu, miſſuq; volatilis Auræ,
Auræ quam genitor ſpirat cum compare nato
Conſortem, æqualem, communem ambobus amorem,
Ignem, quo Pater, & Natus per mutua amantes
Connexi inter ſeſe hærent, ſociaq; tenentur
Mente, nec auelli poſſunt diſcordibus auſis:
Nunc fiant ſua vota Deo, maiorq; precandi
Ardor agat mentes ſtimulis. Non verba precantis
Unquàm arcet, reſugitq; humili de corde profecta.
Quàm bonitas immenſa Dei eſt, quòd in agmine (tanto
Illuſtri augurio cæleſti tradita voce
Lex fuit, in geminis duro ex adamante tabellis,
Cùm populus ſtetit, & ſtupuit, gelidusq; per artus
Horror ijt, totoq; hæſit ſub pectore ſanguis.
Et iam ſumma procul fumabant culmina Sinæ
Aduentante Deo, & tremere omnia viſa repentè
Caſtra ducis, Syriæq; acies, totusq; moueri
Mons circùm, atq; cauis penitus mugire latebris,
Et miſtæ in fumis latè volitare fauillæ.
Intonuêre poli, & nebulæ ſubluſtris amictu
Ignis ijt, telisq; apices afflauit anhelis.

Hinc exaudiri voces, iraq́ Tonantis,
Et ferri ſtridor, fremitusq́ immanè gementûm.
Quandoquidem Deus, ille Deus iuſtiſsimus vnus
Scire cupit gentes, qualis ſit & ipſe, quibusq́
Cultibus, & quanto cumulari malit honore,
Nosq́ ideò eſſe ſatos vt legis ad inſtar agamus.
Quin medius dedit ipſe manu cœleſtia legis
Iura Dei natus, populumq́ affatus euntem eſt:
Nam datus in medium eſt inter patremq́, hominesq́,
Vt per eum noſtris animis collapſa viciſsim
Reſtituantur, & exactè ſua debita legi
Soluantur, noſtraq́ vices præſtentur ab illo.
O largis fœcunda bonis ſapientia legis,
Quam talis pompa eſt Sinai ſub monte ſecuta,
Nec ſolis patefacta viris de ſemine Iudæ,
Sed genti humanæ, magnum quæ ſparſa per Orbem,
Et natis natorum, & qui naſcuntur ab illis.
Sit procul ergo furor Cyclopum, et vana docentũ,
Aſpera qui de lege Dei ſunt verba locuti,
Ac illam ad furcas, Moſenq́ ad tigna relegant.
Ne mihi, ne incauto talis furor excidat, vt te
O hominum cuſtos generis, diuûmq́ voluntas
Æterna, immota, atq́ animis lux inſita noſtris,
Sub pedibusúe premam, nulloúe in honore reponam.
Quare animis verſate æquis, & diſcite promti
Quid lex illa Dei, quid legis poſtulet vſus.
Dehinc Chriſtum prendente Fide ſupponite cordi,

Deq́

Deq́ ſacro intenti doctrinam adiungite Flatu
Sectantes meliora, Deumq́ expoſcite votis
Deſuper effundat dono ſeptemplice Flatum,
Qui quondam in linguis, auraq́, igniq́ coruſco
Emicuit, ſoluitq́ ſono variantia labra,
Vt mentem illuſtret radijs, & fomite anhelo
Omnibus incutiat diuinum in pectora amorem,
Neu Verbum extingui ſinat hoc in turbine rerum:
Cæca hominum mens eſt, Verbi niſi luce regatur.
Sed quia non aliter niſi ſparſo in munere Verbi
Spiritus ille datur, cùm credula corda piorum
Suppoſuêre animis Verbum, intentiq́ reuoluunt:
Quiſq́ ſuum in Verbi præcones monſtret amorem,
Et cuncti venerati animis, quæ copia cuiq́ eſt,
Dona ferant, onerentq́ aras, & debita ſoluant.

RVBVS MOSIS, EXODI III.

EGO SVM, ET ERO.

NVnc fatis incenſi rubi, nec perdita teſqua
Exequar, immiſſo quæ vidit numine Moſes
Frondibus illæſis ſacratas paſcere flammas;
Moſes augurijs habitus non futilis autor,
Ex quo fonte omnes hauſêre oracula Vates:
Nam Chriſtum in dumis oculis, atq́ auribus hauſit.

Ipſe ignotus, egens, Arabum loca vaſta peragrans,
Atq; pedum geſtans, ſoceri cùm paſceret agnos,
Fortè gregem duxit ſacrata ad culmina montis,
Monti nomen Oreb, nomen dedit arida tellus.
Alter apex, montis Sinai cognomine fertur,
Dictus ab hoc ardente rubo, quâ numine claro
Emicuit ſatus ipſe Deo, ſeſeq; videndum
Obtulit, & ſacra per dumum in luce refulſit.
Ecce autem ſummo viſus de vertice montis
Lumen habere rubus, tactuq; innoxia molli
Lambere flamma comas, & circùm robora fundi
Sentibus increpitans; ſed nunquam torrida ſenſit
Damna virens arbor, rapido nec iuncta calori
Victa calore fuit; nam blandi fomitis æſtu
Flamma amplexa rubum, virgulta impaſta reliquit.
Sed quanuis primùm monſtri nouitate mouetur
Dux pecoris Moſes; animum tamen omine tollit,
Fertq; gradum propius; neq; enim ſine numine diuum
Euenìſſe videt; ſubitò cum Moſis ad aures
Legatus patris ætherei demiſſus Olympo
Inſonuit, noto compellans nomine Moſen
Eiectum patria: nanq; illi nomina conſtant
Nota ſuæ gentis, mentiq; hærentia fixit.
Antè tamen plantis agreſtia vincla leuare
Imperat, & crudo perone exoluere calcem
Dum nouus ingreditur ſacrata ad munia paſtor
Qui gregibus ſpargat diuini pabula verbi.

At pauidus viſis, audito & nomine Moſes
Antè Dei natum vultus obtendit amictu.
Sed patris interpres, fati certiſſimus index
Arcani, in triplici quod maieſtate ſtatutum eſt,
Ingreditur dictis: Ego ſi pro ſorte meorum
Anxius antè fui, cùm fata inimica ruinis
Vrgerent; & nunc ſimiles in pectore curæ
Exercent ſtimulos; moueor ſuper ipſe laborum
Tantorum, & populi miſeret non digna ferentis.
Non equidem hæc nullis oculis, nulloq́ dolore
Aſpicio, penetratq́ meas vox triſtis ad aures;
Vltor abeſt longè; quòd ni mea cura reſiſtat,
Iam flammæ tulerint, crudelis & hauſerit enſis.
Ergò altè auxilium vobis ex æthere miſſus
Deſcendi, vt patria eiectos in priſtina reddam,
Diuitis & Canaæ faciam ditione potiri.
Et nunc augurio tali te poſcere regem
Imperijs egêre ſuis pia numina patris.
At Moſes tanto monitu, imperioq́ ſacrato
Obſtupuit, nec ſe tali dignatus honore eſt:
Heu quid agam, quæ te genitor fiducia noſtri
Tanta tenet, mène auſpicijs tot volucre caſus
Poſſe meis, tantòsq́ impunè haurire labores?
Inuenies alium tantarum ad munia rerum.
Sed patris orator dubitanti feruidus inſtat:
Ecce, quod audenti nemo promittere tutum
Auderet, tu relliquias, atq́ agmina gentis,

Quam

Quam domus Ægypti dura ditione fatigat,
Seruitio educes, perq́; inuia marmora ponti
Fata viam inuenient, dabitur fuga tuta per vndas,
Si tellus prærepta fugæ eſt, dabit vnda receptus,
Dux ego veſter ero ſub imagine nubis, & ignis.
Hoſtis terga premet, ſimilis iam iamq́; tenenti
In mare præruptum greſſus vrgebit: at illum
Suſpenſa in montis faciem ſuper opprimet vnda,
Accipietq́; ſinu vaſto, mittetq́; ſub æquor.
Tecum adero, atq; dabo cunctos euadere caſus
Qui terra, pelagoq́; manent, perq́; aſpera rura
Concreto cum rore famem ſolabitur agmen.
Tum verò ardebat ſcitari, & nomina tanti
Quærere ductoris, populiſq́; exacta referre
Omine ab hoc firmans animum, & ſic ore precatur;
O quem te memorem, qualiúe ab origine ducam
Sancte Deûm, nam te non ſpernant ſydera regem,
Nec tibi vota neget terrarum maximus orbis,
Fare age quis venias? Quærenti, talibus ille
Reſpondit dictis: ego S V M quē cernis, E R Oq́;.
S V M patris æterni viua, atq; æterna propago,
Viuo equidem, vitamq́; æterna in ſæcula duco,
Principium, & finis: ſed caſtæ virginis olim
Semen E R O, nomenq́; meum de nomine facti
Dicetur Siloh, venerandum in ſæcula nomen.
Nunc Iehoua vocor: ſed cùm labentibus annis
Natus ero, nomen ducam ſeruator Ieſus

Cùm

Cùm nomen venient Iſch, & Iehoua ſub vnum.
Ille ego ſum, veſtris qui patribus ora reſolui
Fatidico ſermone Deus, fataliaq; arua
Pollicitus, ſeris habitanda nepotibus arua,
Quos ego morte obita viuos nunc æthere in alto
Aſſeruo, & quondam manifeſto in corpore ſiſtam.
Sit mihi fas, Superi, fatorum arcana mouere
Altius, & ſcriptas occulto in codice Moſis
Pandere res, penituſq; ſacros recludere fontes.
Nam ſi olim Chriſtus manifeſtus prodidit auctor
Se ſignari vmbris, de ſe dare plurima Moſen
Auguria, & tacitis Vates ſe prodere dictis:
Tuq; ô Paule fidem certo facis omine nobis
Sæpè Dei natum Moſi nota ora tuliſſe,
Compellaſſe patres, Ægypti carcere preſſos
In Canaæ duxiſſe plagas, deuotaq; regna:
Tunc & in augurium manifeſto ex omine ducor
Non niſi de Chriſto fatis ea dicta referri,
Qui toties Moſi clara ſe in luce videndum
Obtulit; immunemq; rubris eduxit ab vndis.
Tempore quanquàm illo nondum manifeſtus in Orbe
Aſſumtis hominum membris veſtigia fecit:
Tunc erat ille tamen diuinæ nomine ſtirpis,
Cùm nondum Moſes, nondum auras hauſit Abramus.
Æternumq; ſalutis opus confecit, & ægros
Mortales rex idem hominum, ſummuſq; ſacerdos
Aſſeruit; præſenſq; Deus fidentibus ipſi
Attulit

Attulit auxilium cælo, & quemcunq; laborem
Tranſtulit in melius, metuendaq; fata repreſſit:
Hos tegere, & diræ potuit ſubducere pugnæ,
Proq; viris nubem, claramq; obtendere flammam
Ipſe in nube latens, & claro præuius igne
Immanuel, qui ſe comitem fatiq;, viæq;
Iunxit, iterq; dedit legionibus eſſe per altum,
Et pedibus rubras docuit ſuperare lacunas.
Quanuis legatus Domini quandoq; vocatur,
Quanuis patre minor: cælo quia miſſus ab alto
Edocuit mentem patris, & decreta ſalutis
Primus ad ora hominum tulit, eduxitq; ſub auras:
Ipſe tamen cum patre gerit par numen, & idem
Legatus domini, domini quoq; nomine fertur
Naturæ patriæ æqualis, perq; omnia conſors.
Hinc igitur reliquis cæli differre miniſtris
Conſpicitur, quorum certo ſors tempore cepit,
Quiq; infrà poſiti cæleſtia iuſſa faceſſunt.
Quare agite, ac animis propius cognoſcite veſtris
Hunc cælo miſſum, terris qui munus obiuit
Legati, & præſens Moſi ſermone recluſit
Grande ſui natalis opus, mirandaq; vincla
Diuerſæ ſtirpis flammantis imagine dumi
Edocuit, factiq; fidem tali omine ſanxit.
Maximus ille etenim patris legatus, & inſtar
Æterni patris, de nomine ſortè rogatus
Quis veniat, quem ſeſe ortu ferat, an Deus alti

Ætheris

Ætheris, aut alius quidam de gente volucri:
Reſpondit, mihi nomen E R O, licet ætheris alti
SVM Deus, æternùmq́ Deus ſine fine manebo
Aſſumtis etiam exuuijs; tamen æditus idem
Faſcia ventris E R O, dicent quem nomine Siloh.
Sic ambæ ſtirpes perſonam nexibus vnam
Conſtituent, & maſſa hominis, naturaq́ diua
Vnus Ieſus erunt, & erunt per ſæcula iunctæ.
Atq; vt mente Dei penitus fata abdita poſſet
Antè animo capere, & ſignis prædiſcere Moſes,
Quanquàm acie obtuſa, quanquàm nil lumine tecto
Cernere ſuſtinuit: Deus huic mirabile viſum
Obijcit in flammante rubo; velut Iridis arcum
Præſcripſit Nohæ; velut altam ad ſydera ſcalam
Iſacidæ, facti certa argumenta futuri.
Nam veluti ſub ſede vna rubus aſper, & ignis
Conueniunt, & lignum auido non carpitur æſtu:
Sic ſacra ſtirps, cuius perſonam flamma gerebat,
Mirando nexu veniet conducta ſub vnum
Stirpi hominum fragili, fragilis quam denotat arbor.
Nec tamen abſumet ſtirpem ſtirps dia caducam,
Igneus aſt illam vigor, irreſolubile numen,
Fœdere ſeruabit ſtabili, vinctamq́ tenebit.
Quanuis maieſtas foris indefenſa relinquet
Viſcera, & auxilio paulùm ſe ſubtrahet extrà,
Non tamen ad nexus ceſſabit inutilis intrà.
Quanuis viuida vis animæ de carne recedet,

Cùm

Cùm veram mortem tranſuerſò in ſtirpe ſubibit:
Non tamen à Verbo reſolubilis illa recedet.
Accipite ergò animis mortales omina viſi,
Quandoquidem Chriſti perſonam in imagine prodit,
Et duplex genus, & generis duo nomina pandit;
Sum Deus, & mox ſemen ero de virgine natum,
Manſurus quod ſum, quod non ſum deindè futurus.
Sic arcanum, ingens, & inenarrabile factum
Fas ex parte aliqua vobis comprendere ſenſu,
Et puerum, qui tunc inter ſtabula alta ferarum
Delituit, factorem Orbis, veteremq́; ſalutis
Auctorem accipere, & regem cognoſcere regum,
Qui deinceps non nomen, ero, ſed nomina geſtat
Factus homo, natusq́; Deus, cui neſcia ſcindi
Vna ligat perſona duas in fœdere ſtirpes,
Confundi expertes inter ſeſe ordine verſo,
Certa etenim conſtant generi diſcrimina vtriq́;.
Quiſquis enim huic puero dignũ decernere honorẽ
Nititur, & duris rebus ſpem ponere in ipſo;
Longè illum à rebus natiſue, olimue creatis
Perſonæ pro ſorte ſuæ ſeponere diſcat. (ipſo
Quandoquidem hic, auctor rerum, & res condita ab
Sunt perſona eadem, miranda & lege cohærent.
Ergò age, dum quæ ſit pueri perſona recentis
Hactenus exactum eſt, iuuet vltrà inquirere mentem.
Nam puer ille recens, æuo qui ſecula vincit,
Compellauit auos, diuinaq́; iura per auras

Detulit:

Detulit: ipſe loquens perſona in numine trino eſt,
Atq; animo excipiens animorum prouida motus,
Ipſa dolens, oculiſq; videns, atq; auribus æquis
Accipiens, noſtroſq; leuans miſerata labores.
Ipſa olim ſacris præfecit ritè miniſtros,
Et coniuratas toties in priſtina gentes
Reſtituit, duroſq; dedit ſuperare labores.
Nunquid erat tecum Moſes, quando inuia rubri
Terga maris premeres, ſacris qui in ſentibus antè
Dixit, ero tecum? non te ſub nube, ſub igne
Præuius Immanuel ſcelerati duxit ab oris?
Ergò illos animos, atq; illud nomen habebat
Ille puer, quo tempore Adam, quo tempore Abramus
Carpebant auras, quod nunc quoq; nomen in illo eſt.
Nanq; olim vt ſocijs digreſſu fida ſupremo
Dicta dabat; Reuocate animos, mæſtumq; timorem
Mittite, ait, nec enim vobis non additus ipſe
Vſquam abero, & tutos extrema per omnia ducam,
Et veſtrum comitatus iter per tela, per ignes,
Eripiam his manibus, medioq; ex hoſte receptos,
Incluſoſq; vtero, fœtus de more fouebo.
Nec Deus effictus nuper, ſine lumine, & aure,
Aut alienus ero, peregrè veſtigia ducens,
Sed propè ſum, veſtraſq; preces in rebus egenis
Excipiam, euentuſq; dabo, molemq; laborum
Ipſe ſubibo humeris, mediaq; è morte reducam:
Nec diræ facies, inimicaq; numina quicquam

Officient, propiuſúe volent ſe opponere bello,
Mecum erit iſte labor ,medijs conatibus ipſi
Deficient operi,frangam tela irrita, frangam,
Tentamenta premens inſtar Pharaonis agentis
Luciferi, cuius cor ſponte induruit olim:
Atq; ita ſecuros rubri per gurgitis vndam,
Sanguine nempè meo rubefacta per æquora ducam,
Et vos extorres, fatiſq; immitibus actos
Per loca ſenta ſitu, nulliſq; habitata colonis
Non ope deſtituam, ſed ſparſo rore ſupernè,
Cœleſti Verbo, dapibuſq; explebo ſacratis,
Donec tempus erit quo fatis debita veſtris
Intretis rura, & cœli geſtetis habenas.
Durate intereà, mundum, & crudelia fata
Deuici, nulli fas vltrà inſurgere bello.
Hæc ſat erit dictis fundaſſe in codice Moſis,
Quæ nunc noſtra fides Chriſti de numine ſentit:
Fœlix,qui Chriſtum videt in velamine Moſis.
Nam velut aligeri iuuenes in fœderis arca
Reſpiciunt ſeſe verſis per mutua pennis:
Sic benè conueniunt priſca, & noua pacta ſalutis;
Vtraq; nam perhibent ſolo de ſanguine Chriſti
Vno, eôdemq; modo cunctis conſtare ſalutem:
Si modò crediderint, gratis ea munera reddi.
Ergò hinc certa petant mœſtis ſolatia rebus,
Quicunq; oppreſſi fatis agitantur iniquis:
Audit enim noſtraſq; preces, noſtrumq; laborem
Intuitus

Intuitus cælo, capit acrem in corde dolorem,
Victus amore hominum, cognatæ & fœdere maſſæ,
Iam noſter ſanguis, iam noſtris additus auſis
Immanuel, qui non nobis comes ire recuſat
In quaſcunq; vias, ſeu læta, aut triſtia noſtris
Miſcentur fatis, ea diget omnia Chriſtus.
Nec iam longè aberit cùm vectus in Iridis arcu
Nos cælo agnatos, ſed terris duriter actos
Accipiet cælo, regniſq; inducet auitis.

POMPA MORTIS, ET VITAE, IN NAIM, LVCAE VII.

VIr bonus, et prudens, Arimathide natus in vrbe,
Nomine Ioſephus, quo non pietate ſecundus
Iura dabat Solymæ populis: ſi quando moleſtis
Languidus à curis animum reuocare volebat:
Iura fori exoſus, fragrantia rura petebat,
Æmulus Abrami ſtudiorum in fœtibus agri:
Non animum modò vti paſcat proſpectus inanem
Deciduis opibus, ſed ſub radicibus altis
Sacrati Moriæ lætum congeſſerat hortum,
In cuius medio monumentum è pumice factum
Tollebat molem ſignis, ac arte politam:
Illius hic ſenſus ea ſola, & vera voluptas
Erexit lethi memores, vitæq; futuræ.

Nam velut amiſſum recipit putris herba vigorem,
Cùm ver tellurem renouat florente iuuenta:
Non aliter nouit fato reſoluta ſupremo
Membra, domos animæ, lucis reditura ſub auras,
Ver vbi perpetuos mundo ingredietur honores.
Nec caro, nec ſanguis cœleſtia regna capeſſent,
Ni prius in cinerem poſiti tellure fatiſcant.
Et quod nunc flentes ſcrobibus deponimus imis
Effœtum, deforme, animæ cui lumen ademtum:
Clara per ora Deûm fiet memorabile corpus:
Nanq; pijs cœlo reſtant ſua præmia, reſtant.
Huius ab exemplo; triſti dum pectore voluo
Res hominum varias, priuataq; vulnera mecum
Aſpicio, agnoſcoq; dolens: fortè obuia feſſum
Area me cepit quæ corpora luce carentûm
Antè vrbem ad fluuium, vacuoq; ſub aëre condit,
Mollis vbi requies, nec non ſecretus ab omni
Voce locus, quâ gratæ vmbræ, peramænaq; rura,
Dumq; ego multa oculis rerum ſpectacula luſtro
Quas manus artificum ſimularat imagine mira:
Res vna inflexit ſenſus, animumq; labantem
Impulit, vt vacuum curis me ad tecta referrem.
Nanq; oculos, animumq; in imagine pompa trahebat
In geminas diuiſa acies: gerit vtraq; bellum,
Quàm varia in ſignis, habitu tàm veſtis, & armis:
Altera nam Mortem comitatur, & altera Vitam.
Sed motus tanti cauſſa, & certaminis huius

Aſtitit exanimis iuuenis, molliq́; pheretro
Conditus: hinc ſpoliata viro, deſertaq́; nati
Funere, mœſta parens aſtabat, & vnica lecti
Pignora proſequitur lacrymans, & in agmine mœſto
Exhibet officium nato pietatis acerbum,
Antè diem cuius ruperunt ſtamina Parcæ.
Sed Chriſtus verbo reuocatum in lumina vitæ
Expediјt letho, fatorum & iura refixit;
Ductoremq́; ipſum, ſtatu capita alta ferentem,
Deiectum liquit Naimæ ſub limite portæ.
Principiò prædam redigens in iura recentem
Pallida Mors, greſſum torquebat in ordine mœſto,
Quàm genitam partu produxit lapſus Adami,
Et labes ſera producta in ſtirpe nepotum.
Si manſiſſet Adam fuerat qua lege creatus;
Tum manſiſſet adhuc noſtræ vis inſita maſſæ,
Cui pater vſuram ſparſit per membra vigoris.
Tum neq́; corruptos mors lurida ſolueret artus,
Nec genus, ah, miſeram traheret mortale ruinam,
Ceu roſa fatali vomer quam præuius ictu
Decutit, intereunt fibræ, color exit in auras.
Ergò gens hominum ſeruatis viuida membris
Degeret ætates, habitus mutata priores,
Qualis Enoch cœlum petiјt, dum veſcitur aura
Mortali, nec adhuc vitæ lux alma receſſit.
Sed natura nocens, lethi ſub iura redacta eſt,
Et culpa humanas corrumpit adacta medullas,

Salſa velut caries conſumit acumina ferri.
Ergo pedum figit primis Mors ſigna maniplis
Oſtentans arcum pariter, geminamq́; pharetram,
Quarum vna, infeſto tela illita felle recondit
Tantũ animas tactura hominũ, qui immanibus auſis
Non poſuêre modum, quando mens conſcia culpæ
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.
Tunc & in æternam clauduntur lumina noctem
Lege Dei terrente animam longo indice culpæ.
Altera, ſomnifero perfuſa papauere tela
Seruabat, nulloq́; innoxia ſpicula ferro,
Tantùm illa ærumnis finem factura, nec iræ
Amplius indicium, & commiſſi pœna reatus;
Quandoquidem ipſe ſua ſoluit morte omnia Chriſtus,
Conſortesq́; dedit meritorum hos eſſe ſuorum
Qui necis in lucta fidenti corde ſalutem
Arripiunt, veniamq́; ſua pro labe requirunt
Ob patris immenſum quo natum diligit ignem.
Tùm verò intendit valida vi flexile cornu,
Et duxit longè, poteraat vt vtrinq́; videri
Inter ſe iungi capita, & coïſſe ſuo orbem.
Ad latus incedunt pullo velamine Parcæ
Ducentes ſtabili fatorum numine fuſos.
Ponè cohors longo iungit veſtigia flexu,
Et iuueni exanimo, nec iam cœleſtibus vllis
Debenti, extremum præſtant pietatis honorem,
Qui ſolus miſeræ matris conſorte carentis

Spes erat, in quem omnis domus inclinata recumbit.
Nunc trabe contexta deponunt lumine caſſum;
Qualem virgineo labefactum pollice florem,
Seu niueæ calthæ, ſeu purpurei Amaranthi,
Quem multi pueri, multæ voluêre puellæ,
Dum ſtabat terra incolumis, floremq́; tenebat.
Sed poſtquam inflexo collo flos cernuus hæret,
Nec iam mater alit tellus, neq́; priſtina ſpirat
Gratia adhuc, quæ læta hominũ in ſeſe ora trahebat:
Nulli illum pueri, nullæ voluêre puellæ.
Tùm verò connixi humeris ſubiêre pheretrum,
Pullaq́; ferali prætendunt lintea ritu,
Et leni calamos impellunt flamine iunctos.
At mater, non iam mater, ſed flentis & orbæ
Officium peragens, tundit ſua pectora palmis,
Nec venit in mentem rudibus dare iura capillis,
Sed ſe deſertam vocat, & ſine honore relictam,
Amiſſis vt ſpina roſis ſtat ſpreta per agros.
Intereà matres feriebant ſydera planctu
Crinibus in collo paſſis, peplumq́; ferebant:
Qualis vbi Iſacidis ducebat in Atade funus
Turba Phari, cuius triſti cum carmine luctus
Canaidum affecit peregrina in morte colonos.
Hìc verò tendunt ſublime ad ſydera velum
Quod conſerta refert noſtri veſtigia probri:
Qualis Adam regno vetitis miſer excidit auſis
Dum ſtygium regem ſibi conſuetudine iungit:

Qualis & aſpectu ſeſe auius abſtulit, ex quo
Increpuit Deus, atq; oculos per ſingula voluit
Errabunda ſui quærens veſtigia ciuis,
Si qua fortè ferant horto ſeſe obuia in amplo;
Et cùm clamaret, quò nunc te proripis Adam,
Quem fugis ah demens? hic poſt virgulta latebat
Conſcius audacis facti, trepidansq; timore
Seq;, ſuumq; nefas folijs parat abdere fici.
Hinc genus excepit noſtrum, genus omne malorum,
Et labor, ærumnæq; graues, lethiq; repentè
Mille viæ, & pœnæ miſerorum in ſedibus Orci.
Sed poſtquàm longè Mortis proceſſerat agmen,
Ponè ſubit greſſu nigræ ferus arbiter aulæ,
Quondam ales de gente poli; quem mille ſecutæ
Hinc, atq; hinc glomerantur Erynnies; ille caterua
Vertitur in media, varijq; in imagine vultus
Iactat, vt humanum genus in ſua vincla ſubegit,
Et colubri in ſpecie malo deluſerit Euam.
Nanq; reſeruat adhuc veteres in corde tumores;
Atq; ideò cœli ſenſit de ſede ruinam.
Iamq; ferè media eſt illis via, quando ſepulcrum
Incipit apparere iugis, mœſtumq; cadauer
Expectat, cineri ſummum qui præſtat honorem:
Cùm tractim inſequitur lugubri murmure cantus,
In medio vitæ fati grauis imminet hora.
Nā quid es? & quid nam differs à puluere, et vmbra?
Vita, fuga eſt, præceps rota, præpes penna ſub auras,

Luxq;

Luxq́ꝫ breuis, nox longa, vapor leuis, vmbraq́ꝫ ſomnj.
Iunctus & interpres, Moſaica carmine dictat,
Mentibus iuculcans, cur tanta licentia mortis,
Quid moueat bilem ſuperis, quid mille ruinas:
Peccatum, quod nos à ſummo euertit ad imum,
Diluuij in morem, & ſtygio ſub gurgite mergit:
Vnius ob noxam mors greſſus intulit Orbi,
Vidiſſes ope defectos, & mentis egentes.
Inualidosq́ꝫ ſenes, atqꝫ æui flore vigentes;
Ipſaq́ꝫ morte magis terret nos mortis imago.
Fortè ſed aduerſa fertur regione viarum
Læta acies, nomen quæ vitæ à munere duxit.
Nanq́ꝫ Dei natus, vitæ qui frena gubernat,
Fixa pedum impreſſit primo veſtigia cornu:
Illum biſſeni poſt terga ſequuntur alumni,
Qui veniſſe Deum perhibent in luminis auras,
In mediumq́ꝫ ferunt ſortes, & mille figuras,
Prodidit occulto quaſcunq́ꝫ volumine Moſes.
Pars inſcripta modis geſtabat carbaſa miris,
In Iordanis aqua Chriſti referentia corpus,
Atria dum genitor ſtellantis pandit Olympi,
Imprimit & capiti ſacrum veſtigia Flamen,
Alitis in forma, qui Chaonis arua frequentat,
Et ſonus auditur conſortis ab ore parentis,
Hic meus, ô gentes, amor eſt, & ſola voluptas,
Accipite ergo animis, atqꝫ huius figite dicta.
Adde, quòd in medio velum duo ſigna tenebat,

 Qualis

Qualis & Aſſyria collectum fronde liquorem
Infamis mulier Chriſti conſperſit in artus,
Iuſta trahens animo commiſſæ tædia culpæ.
Hinc plantas calido lacrymarum flumine tingit,
Et lini in morem ſiccat veſtigia crine,
Cui veniam indulgens mox ſoluit crimine Chriſtus.
Parte ſed aduerſa menſæ in ſtatione recumbunt
Biſſeni proceres, medio ſedet agmine Chriſtus,
Et cœnæ inſtituit morem, atq; indixit alumnis
Sacra noui pacti, & lethi monumenta futuri.
At ſua iungebat paſſim veſtigia Chriſto
Magna cohors, veræ quam cura ſalutis habebat.
Ipſe gradum accelerat præſes Galilæidos oræ
Cuius ab ardenti releuauit tabe miniſtrum.
Huic adiunge alios, numero quos ædere longum eſt,
Nomina fama tenet, Chriſti qui ſigna ſecuti
Æthera mulcebant cantu, plauſumq; ferebant;
Quòd, poſtquam fragilis nos terminus excipit æui,
In foribus lethi potiamur munere vitæ.
Cui meritam ſoluet mortalis gratia laudem?
Gratia Chriſte tibi, qui nos de crimine ſoluis,
Tu precium reddis, mundus quod reddere debet,
Et mortis dominus mortem pro lege ſubiſti.
Mors; vbi nunc abijt tenſus quem contrahis arcus,
Quo vires ceſſere tuæ, quo gloria belli?
Præda iugum excuſſit, temo iacet axe reuulſo.
Ecce per anguſtas fauces, aditusq; viarum

Porta

Porta ſtetit pulcris Naimæ ſub mœnibus vrbis,
Vtraq́ꝫ conueniunt cùm verſis agmina ſignis:
Mors exire parat, ſed tendere Vita ſub vrbem.
Sed ſtetit obnixus Morti non cedere Chriſtus,
Vtq́ꝫ videt viduam, tunc fata hunc aſpera tangunt,
Ac prior aggreditur: mulier, non fletibus iſtis
Tempus eget, ſed fide animo, & mea numina diſce.
Omnipotens natus patris adſum, infractaq́ꝫ ſæuam
Imperia in mortem teneo, qui munera vitæ
Huius, & illius fidos diſpenſo per omnes,
Sermo meus, virtus patris, & vox propria vitæ eſt.
Ad vos nam venio patris alta ſede relicta,
Certa ſalus, quicunq́ꝫ meo de numine certam
Omnibus ærumnis ſpem concepêre ſalutis.
Hæc vbi dicta; ruit portis effuſa caterua
Functa miniſterijs lethi: ruit obuius idem
Chriſtus ad hanc, vltraq́ꝫ vetat procedere greſſu
Pectoris obiectu: qualis cùm gurgite in alto
Stat mole oppoſita rupes, quam ſpumea circùm
Verberat vnda maris, lateriq́ꝫ illiſa recuruo
Excutitur, remeatq́ꝫ vadis; illa integra perfert
Vimq́ꝫ maris, cœliq́ꝫ minas: haud ſecius ille
Excipit vrgentes, & viuida fœderis arca,
Arcam iræ, & mortis pheretrum, funeſtaq́ꝫ lethi
Scrinia contingit manibus, dehinc talia fatur:
En adſum, vitam qui largior, ipſaq́ꝫ vita
Corda hominum penetrans vitalibus impleo dictis.

Nunc iuuenem exanimem iubeo te ſurgere ad auras
Inſpirans animamq́, & lumina morte reſignans.
Vix ea dicta: mouet iuuenis latus, oraq́, tollit
Deſuetum ad ſolem, viuoq́, arguta reſoluit
Labra ſono, certæ manifeſta per omina vitæ.
Tum prædam retrahit, quam mors in iura redegit,
Et nec opinanti reddit ſua pignora matri.
Nec requieuit enim, donec ſæua agmina vertit
Turbata ſtatione fugæ: dux primus Auerni
Corpore preßit humum, & fulua proiectus arena
Tartaream intendit vocem, qua protinus omnes
Demiſêre animos trepidi, ac vrgente ruina
Hos inimica ſuper facto premit agmine turba.
Ipſa etiam aduerſo dum pugnat Marte, cadit Mors
Ad terram, & vulſis crepitârunt artubus oſſa.
Sed mouet arma tamen, eruoq́, aptare ſagittas
Dum parat; incaſſùm labefacto ſtamine telum
Excidit, & nullas habuerunt cornua vires.
Extemplò ingentem magna vi corripit haſtam
Intendens, tollitq́, animum, & ſpe præcipit hoſtem.
Sed non haſta ſacrum violauit vulnere corpus,
Parte ſui meliore carens, fiducia quondam
Graſſantis lethi, dum ferrea cuſpis inhæſit.
Illam oculos clauſam ſomno, ac extrema gementem,
Turbati fugiunt ſocij, atq́, in puluere linquunt.
Et Parcæ oblitæ fatales voluere fuſos
Terga dedêre metu, nec dirarum vlla ſororum

Crine

Crine mouere angues, nec fidere morſibus audet.
Nec quiſquam inſtantem vlterius, lethumq́; ferentem
Suſtentare armis valet, & ſe opponere Chriſto;
Sed pugnam exoſi latebroſa in valle receptus
Corripuêre prius, quàm tela inimica ſequantur.
Atq; ea dum porta Naimæ bipatente geruntur;
Tunc pauor attonitos cepit ſuper omine tanto,
Atq; his accenſi firmantur, & agmine denſo
Funduntur circùm, ſpectantq́; inſueta gerentem,
Ac habitum vilem, ſeruiliaq́; ora ferentem
Doctorem accipiunt animis, Vatemq́; ſalutant
Cælitus adflatum, Moſis quem prodidit olim
Voce Deus, noſtræ miſſurum in imagine carnis
Deſtructorem operum Satanæ, qui compede preſſos
Criminis, & lethi, Stygio ſub carcere ſoluat.
Ergò omnes triſti ſoluentes pectora luctu
Victori Mortis monumentum è marmore ponunt,
Addunt & breuiter facti de nomine carmen;
Viuimus hîc inopem, ſed cum ſpe diuite vitam,
Mors mihi pro lucro eſt, Chriſtus ſpes vnica vitæ.
Hæc ſeries rerum Naima tranſacta ſub vrbe
In tabulis patuit ſacris expreſſa figuris.
Digna quidem res eſt ſolerti indagine mentis;
Nanq́; meos gelido ſenſus mærore leuauit;
Cùm grauis ærumnis conflixit cura meum cor:
Iamq́; ſatur mundi cœleſtem ſpero ſalutem.
Ferte pedem huc omnes ſubeunt queîs tædia vitæ,
Quorum

Quorum nulla pijs reſpondet gratia factis,
Hæc animos reficit preſſos mœrore figura;
Si modò, ſi veſtris animis ſupponitis illum
Autorem vitæ, mortiſq́, Erebiq́ potentem.
Nam licet Adami lapſum cùm labe ſecuta eſt
Pallida mors, omneſq́ vna ceu lege tenemur
Fata ſubire ſemel, quibus ad ſecla vltima mundi
Non datur abruptæ ſpacium producere vitæ:
Ipſe tamen genitor, ne ſic monumenta perirent
Facta ſuis manibus, Natum mortalibus ægris
Eſſe ducem vitæ voluit, quos mortis ab vmbra
Morte ſua immunes faciat, cœloq́ reponat.

PARADISVS, SEV HORTVS ADAMI.

Quam benè viuebant antiquo tempore patres,
Quorum compoſitus menſis conuiuia duxit
Filius ipſe Dei noſtræ ſub imagine carnis,
Hoſpes vt in Mamræ menſis conſedit Abrahæ.
Nam quoties menſæ ſunt conſuetudine iuncti,
Vtile colloquium ſanctis de rebus habebant:
Qualis ab hoſpitibus Simſon reſponſa petebat,
Deq́ opiuus nectens texta abdita, deq́ leone.
Et Medi iuuenes tabulis ſua ſenſa notantes
Multa ſuper forti rogitant à rege Dario.

Quiq; Bohæmorum geſtat Fernandus habenas,
Sæpe Machaonia compellat in arte peritos
Balſamea de fronde ſagax, herbisq;, ferisq;.
Iſta ſolent dulci mulcere ſapore palatum
Fercula, ſermonum tali conſperſa lepôre.
Odi luxuriem nimiùm quæ prodiga rerum
Humanos animos in bruta ferocia vertit,
Vt Circe in pecudes ſocios mutauit Vlyßis.
Nunc quoq; dum læti menſa conuenimus illa
Legitimos ornare thoros, & dicere verſus,
Sumite materiam veſtræ quæ congrua ſorti eſt.
Orator cauſas, de ſtiuis narret arator,
De terræ venis foſſor, de carmine vates;
Quæ tibi non data ſunt, attingere munia noli.
Non me cura premit regum quid agatur in aulis;
Rex ego ſum; ſi ritè pedes in carmine cedunt,
Syllaba nec numeris rectè digeſta repugnat.
Hic ego non Xerxes eſſem, non Lydius ille,
Par animus Craſo eſt, ſed res cum paupere Codro:
Quæ deſunt homini, Deus omnia ſufficit vnus.
Et Iob cultor erat veræ pietatis, & æqui,
Fors non æqua fuit, ſed erat Deus æquior illi.
At mihi materies, dictu quæ ſuauior eſſet,
Non venit in mentem, quàm nobilis hortus Adami,
Quem ſacer occulto deſcripſit codice Moſes.
Hic mihi cùm rebus verborum lata patebit
Area, resq; bonas vltrò bona verba ſequentur.
Principiò

Principiò ſatus ille Deo, qui condidit Orbem,
Quicquid & Orbis habet, ſine quo nil condidit vſquã
Omnipotens genitor, ſexta iam luce, priuſquàm
Factus homo autoris cepit ſimulacra referre,
Irriguum miris eduxit cultibus hortum,
Artis opus magnæ; magnus ſed in arte magiſter
Emicat, & dominum loquitur natura potentem.
Nec quiſquam enaluit tantos æquare paratus
Dum locat impenſam diris qui ſubiacet horto:
Humanos ſuperat diuina potentia captus.
Nanq; opifex horti Deus eſt, qui victima factus
Poſtquàm morte ſua fecit mortalibus hortum,
Et latice, & fuſo ſub morte cruore rigauit;
Magdalis ad vultus, olitoris imagine vili
Conſtitit, vt tenebras vix aurea diſpulit Eos.
Eſt locus in terris ad amœnum conſitus Eden,
Eöa de parte ſoli; vos flumina teſtes,
Quatuor aduerſo labentia flumina tractu,
Immiſſæq; feræ nemori: licet ædita cælo
Proluuies fontem ſcatebris excuſsit auitis,
Fælicem inſano contorquens vortice ſyluam.
Deliciæ nomen dederant, vt Adonidis horti
Cultibus æternum meruêre in ſecula nomen.
Nunc age cultorem expediam, quẽ prouidus horto
Admouit genitor, vetiti quâ criminis expers
Mille voluptatum ſpecies hauriret abundè.
Nam collecta fides, Adamum in rure Damaſco

Arguti

Arguit eſſe ſatum, diræ quâ conſcia ſtragis,
Hei dolor, immaduit germano ſanguine tellus.
Nam genitor pulſus cæleſti degener horto,
Hac iterum ſtetit exul humo; ſed funere nati
Pollutum hoſpitium fugiens, crudelia rura
Deſeruit, Canaæq; plagis veſtigia tendens
Sedibus ad Chebron poſitis penetralia fixit,
Atq; illic placida compoſtus pace quieuit.
Nôrat enim, nôrat, penitus tellure ſub iſta
(Æmula quæ quondam diuini floruit horti
Cùm nondum Sodomen vltrix abſumeret ardor,)
Exacto ſpacio promiſſi Seminis hortum
Surgere, quâ lætas arbor vitalis in auras
Prodeat, amiſſam reddat quæ manſa ſalutem.
At Cain, vt memorant, cognati funeris autor,
Non procul à Libani cultis radicibus Hanoch
Condidit, & magnas eduxit ad æthera moles.
Verùm, hac anguſti conſtrictus limitis ora,
Deſero; nam terræ poſitum in regionibus hortum
Laude veho, & nomen ſublimè ad ſydera tollo.
Fortè duo aduerſa luci regione patebant
Fatali arcanas ſeruantes arbore vires.
Hinc loca virgultis conſerta expleuit amænis
Vana ſuperſtitio, rerumq; à luce ſacrarum
Impoſuit nomen luco, diuiſq; dicauit,
Quem neq; fas igni cuiquam, nec ſternere ferro.
Alter erat dictus vitæ de munere lucus,

Florea nam varios fundebant brachia fœtus,
Malaq́; per campum ramis excuſſa iacebant
Quorum rubra latent lento ſub ſubere grana.
Hinc Adam, dum vita prior ſine labe manebat,
Carpebat fructus, quos ipſa volentia rura
Spontè ſua tulerant liquidas in luminis auras.
Hic focus, atq; penu conſtructum mille paratu,
Miſtus vbi diuis conuiuia traxit Adamus.
Quippe ex prouentu rerum quas ædidit hortus
Curaſſet vires animali in corporis vſu,
Vnde olim ad ſuperi naturam ſeminis illum
Verteret, inq́; nouum mutaret Spiritus ortum.
Alter ab officio ſortitur nomina lucus,
Præſcia reddebat qui corda boniq́;, maliq́;.
Augurijq́; fidem fatalis fructus habebat:
Hinc quercus habitæ Graijs oracula quondam.
Huc crebrò ſubiens Adam cum gente nepotum
Relligione locum cunctos ſeruaſſet in annos.
Hæ ſacris ſedes epulis, hìc ariete cæſo
Debita cum vero ſoluiſſet vota timore.
Sed data ſors, ne quis ſceleratos vertere morſus
Audeat in fœtus quos arbor habebat opimos:
Nam Deus, & venter non vna in ſede coluntur.
Atq; hæc dos horti, prima hæc de ſtirpe voluptas
Arborea: qualis noſtros cultura per hortos
Exercet teneras fœcundo in caudice plantas:
Aut vt Abras terræ mandans genus omne virentū
Alterius

Alterius ramos alieno in ſtipite fixit.
Hinc fruticum tractus vacuos digeſtus in agros
Exijt ad cælum, largo qui pondere preſſus
Viribus eniti valli conſueuit acerni.
Qui nec erat vates, nec vatis filius Amos,
Ruris opes coluit paſtor Sycamina ſtringens,
Quæ niſi ſcalpta forent, & pingui Pallade tincta,
Tunc ingrata ferent haud vllos brachia fœtus.
Sic fructus ſperate bonos, ô ſacra profeſſi
Saucia lege Dei ſi pectora, gratia ſanet
Inſtar habens oleæ, pacem quæ mentibus affert.
Quippe Ioſeph, quo non diuûm reuerentior vllus
Iura dabat Solymæ populis, vernante ſub horto
Funeſtam ſtatuit viuo de pumice foſſam
Corporis hoſpitium lucis iam munere functi.
Atq; huc exhauſtus curis, & rebus agendis
Deuotum tendebat iter, portumq; ſub ipſo
Quærebat tumulo pertæſus gaudia mundi,
Et ſecum vitæ reputabat ſecla futuræ,
Spe ſua damna leuans; nec longum tempus, & illo
Compoſuit topho releuatum è ſtipite Chriſtum
Humanam propria dum penſat morte ſalutem.
At ſuper hæc, riguum muſcoſis fontibus hortum
Læta tenent armenta, ferarumq; horrida membra
Paſcuntur viridi in ſtabulo ſub lumine aperto:
Ceu ſpecies variæ expertûm ratione ferarum
Nexibus arboreis procerum clauduntur in hortis

Septorum genus, & viuis ſatiantur in aruis.
Nanq; alio Deus è tractu genus omne ferarum
Duxit, & Adami paſſim ſubmiſit habenis.
Omnibus ex habitu, mentisq; ex indole nomen
Fixit Adam; mentem nec dum caligo ſerenam
Labe mala infecit, tenebroſa & ſorde reatus.
Hæc equidem riguo venit de rure voluptas,
Plena timore Dei, dum res ſtetit integra vitæ.
Nunc quoq; progreſſus hominum mens æmula fecit,
Et varias vſus quærendo protulit artes.
Quippe Sigiſmundus, Bauarûm qui ſceptra gerebat,
Incluſit riguum nexis cum torquibus hortum
Deſuper, alituum ſeries ne lapſa per auras
Turpe iter arripiat, ſylueſtriaq; antra reuiſat.
NVNC locus eſt fonti, flexu qui rura liquenti
Occupat, & ſcatebris cæleſtem temperat hortum:
Ceu Sodomæ tractum paſſim fœcunda rigabant
Flumina: & Ægyptum ſpargebant oſtia Nili
Limitibus diffuſa ſuis, limumq; trahebant
Felicem, dulciq; vligine rura iuuabant.
Nam fons qui medio latices è vortice ſpargit,
Et ramenta vehit venis abrupta coruſcis;
Quatuor in tractus aduerſis cornibus vndam
Diuidit, & rapido inſultans diſcernit ab alueo,
Alter vt Auroram flexus petat, alter Iberos,
Ille, latus mundi gelidam quod tendit ad arcton,
Hic, rapido preſſas Cancri ſub ſydere terras.

Qualis in antiqua gentis ditione Nariſcæ
Mons ſitus extremas poſitu qui terminat oras
Teutonidûm, multa præcinctus vertice pinu,
Quatuor effundit vaſtos radicibus amnes.
Flexus ad Auroram tractus petit Oegra Bohemos,
Mœnus at oppoſitis ſua cornua dirigit vndis
Te piſcoſe ſequens Francorum Rhene per agros:
Naba lacus Iſtri ſequitur, Sala turbidus Albim.
Sed ſcatebris excuſſus erat fons lucidus horti,
Cùm pater arbitrium ventis permiſit, & vndis,
Omnia dum latè ſeries conuellit aquarum,
Illiditq; vadis, diraq; voragine terras
Haurit, & in præceps tumido rapit alueus amne.
Nam ſimul ira Dei fatali cuſpide cœlum
Impulit in latus, ac pluuiæ ceu fœdere pacto
Aëris è gelida tractu cecidêre ſolutæ:
Fit fragor, & fundo inſultans freta concitat imo
Æſtus, & immiſsis Nereus luctatur habenis.
Hîc rapidus voluit mortalia ſæcula vortex,
Hîc ſummo pendent nantes in gurgite, & illic
Sternit humum liquor, & cumulos deuoluit arenæ,
Et iuga deijciens, auulſaq; viſcera montis,
Explet humo caueas, & planas obſtruit oras,
Vt ſæpè aggeribus ruptis impunè videmus
Efferri in ſpacia, obiectaſq; euellere moles
Vel niue, vel pluuijs auctum liquoribus amnem,
Qui quondam leni placidum trahit agmine flexum,

Dum mitis cœli ſtatus eſt, dum ridet Apollo,
Et madidus pennas in carcere continet Auſter:
Iamq; vbi concretis iacit aura vaporibus imbres,
Quos pelago exhauſtos Typhones in aëra torquent:
Tendit in arua furens cumulo, ſeptumq; reuellit
Oppoſitum, curſuq; volans dat lora ſecundo:
Ille parit tectis ſtragem, & ſpes eruit anni,
Et pelagi dorſum preſſuras deijcit alnos,
Obſtanteſq; ſoli tractus, velut ariete crebro,
Colliſu trahit, & cumulis caua iugera replet:
Et nunc ille nouo deducit tramite ſulcum
Excuſſus calle, & ſolita reflexus ab ora.
Quippe alius toto naturæ vultus in Orbe eſt,
Ex quo proluuies fatali proruit hauſtu
Terga ſoli: heu quantas paßim dedit illa ruinas
Collibus, ac infrà poſitis decliuibus oris.
Atq; vbi nunc preßi ſaltus conualle reducta
In latus vrgentur, quorum ſub tartara radix
Tendit; ad aërias ſedes iuga vertice quondam
Surgebant: valleſq; cauæ quas obruit agger
Expletis ſcrobibus, nunc molem ad ſydera tollunt:
Vnde per anfractus terræ, tacitoſq; receſſus,
Quà ſuſpenſa facit gradibus veſtigia foſſor,
Dum terræ venis abſtruſum quæreret aurum,
Offendit genus arboreum, quod tranſtulit humor
Terreus in lapidem, & partes expleuit inanes
Saxea vis intus, manet arboris integra forma.

Attamen,

Attamen, exertiq; patent in robore rami.
Vidi ego qui ſilicis venis excuderet ignem,
Susciperetq; putri fumantem in ſubere libri,
Vt ligni exuuias Vulcani abſumeret ardor.
Cur non in latebras euulſas truſerit ornos
Effera vis laticum, ſtygijsq; admouerit vmbris,
Cùm ſpeciem mundi hanc afflixerit æquore vortex,
Et loca diuellens alijs deuinxerit oris?
Nam qui nunc Lunæ de montibus exerit ortum
Nilus; & Æmodijs Ganges qui candida tollit
Ora iugis, longo ſpacio diducta locorum:
Ante vndas vno manabant fontis ab alueo
Flumina, nunc longis inter ſe paßibus abſunt.
Fama eſt Eufraten, fama eſt quoq; Tigridis amnem
Occultas egiſſe vias ſub viſcere terræ:
Ceu Libani in venis arcano ſerpere flexu
Iordanis ſolet, & gemino ſe vortice ſcindens
Exerit ora foras, ſinubusq; inflexa reductis
Vnda coit, fluuioq; imponit idonea nomen.
Sed nunc verſa ſoli facies, confuſaq; mundi
Forma tulit iactum, primoq; receßit ab ortu,
Poſtquàm iuſta Deus permittens frena furori
Ter grauiter lapſum, ter diris dedidit Orbem.
Sed prius & vires fluuiorum, & nomina verſu
Expediam, quia ſumma ſequor faſtigia rerum,
Atq; pedum flexus pono in veſtigia Moſis.
Ducit ab Auroræ populis ſua flumina Ganges,

Perq́; Heuilæ tractus, Ophyræq́; effunditur oram,
Quæ rutilas dum gignit opes, auriq́; metalla
Exhibet in venis, tellus habet aurea nomen.
Ille eſt, quem Phiſon Solymæ gens accola terræ
Nuncupat, in campum laxis quòd fuſus habenis
Arua premat pelago, ſterilesq́; aſpergine terras
Imbuat, & vires vicino humore miniſtret.
Quin etiam Gihon Pharia in regione quotannis
Obicibus ruptis tumet altus, & excitat imis
Stagna refuſa vadis, rurſusq́; in ſe ipſe reſidit.
Nominis hinc & cauſſa tui tibi Nile reſultat,
Quòd limo ſaturas immunes imbribus agros,
Et tenuem argillæ maſſam trahis inter arenas,
Cùm gens Iſacidûm glebas excerneret vndis,
Materiem laterum, coctis ſi mœnia cingant
Aggeribus, cæloq́; parent educere molem.
At qui Medorum rapido ſecat agmine fines,
A iaculo nomen ducit, Tigrisq́; vocatur,
Adpellant celerem Medi qua voce ſagittam;
Nanq́; ferè teli volucrem præuertitur ictum.
Arua quòd Eufrates pingui iuuet vbere glebæ,
Nomen habet, ſcatebris quoniam turgentibus omnes
Fundebant ſeſe in ſpacia, ac vligine læta
Temperiem, viresq́; dabant cæleſtibus aruis.
Hi verò flexus fluuiorum, atq; area fontis
Per vacuas extenta plagas excurſibus amplis,
Immenſi poterunt ſpecimen tibi prodere ruris.

Optima

Optima pars mundi, Solis quæ vergit ad ortum,
Ora Aſiæ, tellusq́; Arabum, Lybieq́; calentis
Iuncta plagis, horti ſub ſede manebat eadem.
Solaq́; non horti partes Europa tenebat,
Hinc Erephæ nomen deſerta Europa recepit.
Sed quis nam ſtatuet tàm vaſtis tractibus hortū
Inſediſſe ſolo quantùm patet orbita Phœbi,
Audeat vt tanti ſe opponere laudibus horti?
Hîc Ver aßiduo mulcebat prata tepore,
Nec terræ dorſum ferro conuellere adunco,
Nec ſaturare fimo pingui, nec ſpargere grana
Fas erat; audebat non vllo ſemine iacto
Herba leuare comam, & tellus largißima rerum
Omnia liberius nullo inſectante ſub auras
Vi propria ſuffecit, opis non indiga noſtræ.
Præſertim riguis ſi fluctibus amnis abundans
Exijt, obductoq́; aſperſit iugera limo.
Et viui latices vires languentibus herbis
Suffecêre; virent frutices, & ſpicea meßis,
Quæ nullos paſſa eſt hominumúe, boumúe labores.
Deniq́; non magno patet hortus amœnior Orbe
Conſitus, ætherei certet qui laudibus horti:
Magna licet Sodomes commendet gratia tractum,
Pinguibus vt ſulcis frumenti extenderet herbas,
Et ſi non piceo conſumta ardore periſſet,
Dum graue ſupplicium malus ignis in igne luebat:
Hortus erat Sodome promißi Seminis olim.

Quis velit in numerũ noſtros, niſi turpiter, hortos
Addere, & in medium tenues producere ſaltus,
Quos cultura ſagax virgis congeßit odoris,
Aut virides ſtruxit perplexa ambage receſſus,
Ceu quondam Theſeus conuexum iter omne reuoluens
Multis capta vijs filo veſtigia rexit:
Vt taceam noſtros cliuoſo in iugere fundos,
Queîs variæ illudunt peſtes, ac exiguus mus
Verteret, & cæci foderent pro vomere talpæ.
Pinguia ſæpè quibus committimus ordea ſulcis,
Pro molli ſtipula tactu venit aſpera meßis,
Et quæ nunc tellus lapſu infeſtata nefando
Noxia monſtra creat, populant quæ farris aceruum.
Vidi ego culta diu, & multo verſata labore
Rura, tamen retrò in peius conuerſa referri.

Non tamen hîc opus eſt animum diſtendere ſenſu.
Flumina quòd poſitus hodiè teſtata vetuſtos
Ruris ad extremas oras ſtant limitis inſtar,
Ceu vbi diſcernit litem lapis arbiter aruis.
Nilus ad occaſum, Ganges ſe flectit ad ortum,
Ad Boream reliqui vertuntur flexibus amnes,
Dum terni lateris tentant effingere formam:
Qualis cùm rapido conterminus Albis Eliſtro
Myſorum cohibent in morem limitis oras.

Sed iuuat vlterius memorare ex ordine lectas
Ruris opes, & ſtagna vadis tentare ſub imis:

Quæ

Quæ quanuis vitreo gignant ſub gurgite piſces,
Fulua vehit Ganges precioſi grana metalli,
Pulcra quibus gracili ducatur bractea flexu,
Mollia quæ decoret radianti carbaſa tractu,
Et telæ textum tenui diſcernat in auro.
Flexile nam venis Ophyræ quod cæditur aurum,
Et quæ nudus Arabs terriſq;, vndiſq; creata
Fulua legit ramenta, cribro dum tentat arenas:
Omnibus exacta contendunt ſorte metallis.
Atq; hinc Obryzon conciſo nomine vulgus
Æra vocat largis Ophyræ producta fodinis.
Quippè ſacro pandens res geſtas codice Moſes,
Narrat aui natos Eberis (qui nomen Iberis
Indidit) ad terras Heuilæ ceſſiſſe, plagaſq;
Felices Ophyræ, atq; illic fixiſſe penates.
Inde nepos Ieſſæ ſapiens, & filius Aſſæ
Rex Ioſaphat glebas facti, infectiq; metalli.
Ex Ophyra exegit votis à ſanguine iunctis.
Et nunc fama refert Ophyram tua Carole iura
Accipere, & foſſam Salomonis fundere largo
Æra ſpecu, & rutilas gremio producere glebas:
Aſt alio dicunt Ophyram nunc nomine Peru.
Hinc quoq; Fernandus quondam, (de cuius alumna
Carolus in lucem felicibus exijt aſtris,)
Ex Ophyræ venis maſſam fulgente metallo
Pondere, et ære grauem, quã non manus vlla peregit,
Non focus abſterſit labem, ſed viſcere terræ

Egeſtam

Egeſtam, accepit monumentum diuitis oræ.
Adde quòd & Ganges glebam candentis Electri
Voluit, vbi terræ melior producitur humor,
Qui gelidis concreuit aquis, & marginis oræ
Alliſus, fundo fluctu cedente reſedit.
Nec Badalah guttam arboream, ſed ſuccina ſignat,
Arboris Heliadum lacrymas quæ credidit error.
Quid memorem gemmas niueo fulgore decentes,
Scilicet in conchæ genitas teſtudine baccas,
Gemmarum genus æthereo de rore creatum?
Nanq; Soham poßis albentes dicere gemmas,
Ceu Phenenim rubro certantes ære lapillos.
Quid, quòd in his opibus Solimæ noua tecta notabat
Prouida gens Vatum: quia nam fulgere metallo
Conſerta, & gemmis fingit rutilare coruſcis.
Quanta voluptatis ſpecies erat illius horti
Texta plagæ tenuis liquidos immittere in amnes,
Turgenteſq; ſinus lini, diſtendere gemmis
Concharum, atq; auri ramenta, & ſuccina flaua
Verrere, & extremis exponere fluminis oris?
Vt qui cæruleum funda diuerberat amnem,
Squamigeroſq; greges vnco complectitur ære:
Aut veluti laqueis tentant vada cærula ponti
Sudeni, & glebas Electri in flumine captant.
Sed quis erat primis mortalibus vſus in illis?
Nec dum tegmen erat; Nam cùm ſine labe gerebant
Pectora, & externi cultus non indiga membra:
Tum

Tum Solis radijs monſtrabant corpus honeſtum,
Nec pudor vllus erat, nec preſſa nubila frontis
Effigies: quia nulla lues commiſſa, ſerena
Aſperſit maculas animæ, non auius ordo
Membrorum, excuſsit recto de calle vagantes
Adfectus, ſed cuncta ſua in ſtatione manebant.
At mihi tàm prudens nemo perſuaſerit autor,
Coner vt aduerſùm rem certam obtendere dictis.
Nam quid in externo quæſiſſet tegmina luxu
Gens inoperta quidem, ſed luce ornata Deorum,
Et domus, & ſtructura Dei, pulcerrima rerum?
Sed tamen in terris ſpacium dum fata dediſſent,
Rebus ab his vires animali in ſorte leuaſſet.
Nec magis auxilium veniet præſentius ægris,
Quàm ſpecies auri cùm redditur hauſtibus apta,
Et liquor Electri pinguis, glebæq; ſalubres
Æmula de Conchæ ſortita nomina baccis.
Quod ſupereſt; cunctis certat prouentibus Orbis
Gratia, quæ veris commendat dotibus hortum.
Nanq; Deus vacuo contemplans rure vagantem
Expertem conſorte hominem, non vtilis, inquit,
Eſt mora, & in triplici ſtatuit conſulta ſenatu:
Cum pare quæq; ſua ducant animalia vitam,
Et ſobolem tendant proferre, genusq; tueri?
Solus homo, flos ipſe Orbis, ſine fœnore vitam
Exigat, & nuſquam ſenſus, & dia reperta
Pectoris exponat, ſed mentem paſcat inani

Intuitu

Intuitu, & fruſtrà foueat ſua gaudia ſolus?
Non ita: ſed vitæ comitem, ſociamq́; laborum
Cogitat, & lentum inſtillat per membra ſoporem
Fuſa viri, riguo quâ flamine planta reſultans
Sæpè leui ſomnum ſuadebat inire ſuſurro:
Diffinditq́; latus, fixamq́; in viſcere coſtam
Exerit, atq; maris condit de carne maritam.
Mox vt erat ſomno excuſſus, conſortia membra
Nouit Adam, ſentitq́; pias in pectore flammas:
Quis nouus hic noſtris ſucceſsit cordibus ignis?
Coſta meo pro corde ſtetit quam cernimus, inquit,
Nec me ſanctus amor, nec me mens mutua fallit,
Perq́; vices quòd cor affectus ſpirat eoſdem.
Vt vidi, vt perij, vt me pius abſtulit ignis,
Oſſa calent, & cor ad partem cordis anhelat.
Nec plura, arripit hanc, flammas confeſſus honeſtas,
O animæ pars magna meæ; nec fallit imago
Me mea, nanq́; viri carnem, nomenq́; virago
Pulcra Dei ſtructura geris: tu curia menti,
Cùm qua concilium ſanctis de rebus inibo.
Cedant rura tibi, ruris tibi ſumma voluptas
Cedat, in hoc horto me pignora cara quotannis
Ferre iuuat, ſine te totus mihi diſplicet Orbis,
Hic nouus hortus erit, nouus hinc generabitur Adã.
Ipſa focum cinges crebræ propagine ſtirpis,
Vitis ab exemplo, latè quæ brachia ſpargens
Lætitiæ humorem generoſo in palmite gignit.

Sed patrio hærebit lateri latere edita proles
In viuam ſpeciem ſemper frondentis oliuæ.
Sic ait: at magna ſuperûm ſtipante corona
Filius æterni patris connubia condens
Pronubus adduxit ſociam; ſimul accipe dixit
Cælumq́;,tractusq́; maris, terramq́; profundam,
Viue, vale, & ſobolem genera, mandataq́; ſerua.
Dixit: & accepit diuinum munus Adamus,
Dumq́; habet hanc terris,terris habet omnia ſolus.
Hactenus ætherei cultum luſtrauimus horti,
Quâ genus humanum ſolida ſub imagine diuûm
Libera fixiſſet placido veſtigia greſſu,
Ni coluber vanis luſiſſet pectora verbis,
Vertiſſetq́; dolis, & ſpem feciſſet inanem,
Donec ſuccumbens culpæ fas verteret Adam.
Tum patriæ fines, & dulcia liquimus arua,
Pars Erebam,& ſteriles Scythiæ poſſedimus oras.
Hîc ingratus ager nullum ſe ſemine iacto
Induit in florem, & fallunt ſua vota colonos,
Pro ſtipula vepres ſubeunt, & mille ruinæ:
Tantum dira lues potuit mutare bonorum.
Quid nemora, & varijs digeſti frondibus horti?
Si te fata vocant, linquenda eſt maxima tellus,
Et domus, & dulcis coniunx, & pignora lecti;
Sola breuem dominum ſequitur funeſta cupreſſus.
Sed quid ego antiqui reuoco monumenta doloris?
Quòd ſemel amiſſum eſt,nulla reparabitur arte.

Ergò

Ergò alius quærendus ager mortalibus ægris,
Quem nunc ipſe ſua ſeruator morte parauit,
Et roſeo tinxit ſudantis vortice guttæ,
Et lateris rima lympha ſaliente rigauit.
Ille, quod amiſſum eſt, grandi cùm fœnore reddet,
Omniaq; in melius quondam collapſa reponet.
Nam Deus ipſe nouis digeſſit cultibus hortum,
Arbor vbi vitæ pandit ſua brachia Chriſtus,
Ex qua perpetuæ cæleſtia dona ſalutis
Carpimus, inq; fide vitalem mandimus eſcam.
Illic cum teneris educens germina plantis
Ore miniſtrorum proponit ſemina Verbi.
Quippe Dei verbum ros æthere ſparſus ab alto eſt,
Ex quo concha venit, quæ cordibus vtile præſtat
Auxilium, & lapſas reuocat ſub pectore vires,
Nempe Fides, animum caſu quæ firmat in omni,
Et Verbo inſtillat vitam, viresq; renatis.
Has, & non alias Chriſtus conquirere gemmas
Imperat, afflictæ releuent quæ tempora vitæ.
Ergò animæ quicunq; ſuæ capit Arbore ab illa
Ambroſias epulas, & gemmas adplicat ægris
Cordibus, inſano cùm feruent omnia motu:
Stabit ouans animis, nulloq; mouebitur ictu,
Et tandem Elyſij ſuccedet ſedibus horti,
Ac Solymæ noua tecta nouæ fulgore coruſco
Gemmarum, fuluiq; æris conſtructa ſub auras,
Quæ non vlla æui valeat mutare vetuſtas,

Incolet, & regni promiſſas carpet habenas.
Saluete ô gratis cœlorum tradita regna
Omnibus in Chriſto qui ſpem fixêre ſalutis.
O benè quòd cecidit, quòd Adam malè perdidit hortũ,
O quantum meruit nobis mala culpa bonorum?
O quantus datus eſt, qualis pro labe redemtor?
Hic melior patria eſt, hic hortus amœnior illo eſt,
Iam pulſis, iam rura patent reſerata, redite
Extorres, patrij ſtatio queîs publica ruris
Clauſa fuit, nunc eſt facilis conſcenſus Olympi,
Summus obit qui noſtra piat delicta ſacerdos.
Et nunc æterna ditione tenebimus hortum
In cruce quem iuſſit fidum ſperare latronem.
Pulcrior huius erit ſpecies, & amœnior horti
Gratia, quem Chriſtus cum ſanguine tinxit, et vnda.
Illum quadrifluo ſimplex liquor imbuit amne:
At hunc iuſticiæ manans de fonte perenni
Sanguis, & vnda rigat, varioq; in flumine pingit.

Chriſte veni, et diris mundi nos transfer ab hortis,
Quâ tribuli, lappaq; virent, & noxia morſu
Serpentum genera, & ſqualentes terga lacerti
Sibila dant, ſpirisq; ligant ingentibus orbes.
Hei fugite ô miſeri, fugite hinc, latet anguis in horto,
Non hic certa pijs ſtatio, ſed in ætheris horto,
Huc nos fata vocant, inſtat nunc tempus, eamus.

LIBER PRIMVS.

ARma, virumq; cano, Syriæ qui primus in oris
Mille viros letho maxillæ miſit ab ictu,
Vi ſuperûm, mouitq; loco clauſtra vrbis; & omnes
Sedibus impulſis moriens vita expulit hoſtes.
Tantæ molis erat ſacram defendere gentem.
Vrbs erat, inuiſi Syrijs tenuêre Philiſti,
Quam petijt fatis olim cœleſtibus actus
Sole trahens nomen, Manöa patre ſtemmata Simſon.
Huic roſeus ſumma pendebat parte capillus,
Cuius quàm ſeruata diu natura fuiſſet,
Tàm res incolumes patriæ, roburq; futurum
Mirando adparens prædixit in Alite Chriſtus.
Ille aditum quærens vt iuſto Marte Philiſtas
Occupet, & Syriæ tenues ſpes liberet hoſte,
Fœdus connubio iungit: vaga fama ſed vrbes
Peruolitat, dolus, anné fauor quis ab hoſte requirat?
Vix è conſpectu patriæ telluris, in altos
Tendebàt campos, & amictos vitibus agros:
Ecce leo præſtans animis, multùmq; feroci
Virtute exuperans, & adhuc feruore iuuentæ,
Fertur in arua furens, atq; huc obuerſus, & illuc
Veſtigat prædam indignans, fuluaq; comantes
Attollit ceruice iubas, quem voce frementem
Syluæ omnes, atq; antra tremunt, monteſq; reſultant.

Ergò

Ergò inſultantem fremitu, lethumq́ minantem
Non tulit vlterius Simſon, ſed fertur inhoſtem
Non claua, neq́ enim claua vitam ille dediſſet,
Dorſum immane manu premit, atq́ ingentia membra
Sternit humi: ſparſo rorarunt ſanguine flores.
Nam vires furor omnipotens, animosq́ valentes
Indidit, & ſtimulis haud mollibus impulit artus.
Ergò iter inceptum peragit rumore ſecundo,
Tandem & ſperatæ Simſon aduertitur vrbi,
Et thalami ſociam inuiſa de gente requirit.
Hanc ſocer intactam dederat, primisq́ iugârat
Ominibus, ſed ſacra thori celebranda futurum
Protulit in tempus, patrio dum ſanguine iunctos
Orbe alio poſitos, vocet ad connubia Simſon.
Dumq́ illic fertur nota regione viarum
Obſeruata legens retrò veſtigia Simſon:
Miratur, quia nam putri de cæde leonis
Inſincerus apes genuit cruor: ædita coſtis
Erumpunt, habitantq́ modis animalia miris.
Pars rigidas flauo diſtendit nectare coſtas,
Parsq́ fauis ponit ſemeſo in corpore fundum
Crure thymum portans, & floribus horrea texens.
Nam calor, & liquidis corruptus in artubus humor
Materiem reddunt generandis fœtibus aptam.
Ergò faui partem Simſon delibat, & explet
Melle famem rapidi generato in ventre leonis.
Expectata dies aderat, quam dixerat Hymen

Connubio, proceresq́ ad iura iugalia Simſon
Excierat: læto complentur limina plauſu.
Tum lecti iuuenes pingui cum parte ferarum
Dona laboratæ Cereris, Bacchumq́ miniſtrant,
Et fallunt ſermone diem, virtusq́, loquendi
Materia eſt; referunt cum geſtis tempora rebus,
Naturæ aut cauſas certant aperire latentis.
Maxima præcipuè deuicto pugna leone
In ſermone fuit: viſum eſt mirabile cunctis
Quòd iuuenis nullo telo ſpacioſa leonis
Preſſerit ora manu, diſcerptum & ſparſerit aruis.
Aſpice, quàm verſo currunt momenta tenore,
Nunc pubes frena excutiens, & rebus honeſtis
Corda auerſa tenens, & iniqua monentibus æqua,
Omni luce ferè luxu ſe effundit in omni,
Indulgetq́ choris, ſoluitq́ in iurgia linguas.
Dic, quibus in menſis hominum non fama laboret?
Fit cruor, & cædes; æuo ſic omnia noſtro
In peius ruere, & recto contraria ferri.
Olim autem docto tempus ſermone trahebant
Nec gula plus meruit, quàm caſta modeſtia laudis.
Talem ſe hoſpitibus certum eſt geſsiſſe vocatis
Naturas dum tendit apum perquirere Simſon
Doctus ab exemplo, tacita quod mente premebat.
Scilicet exactum ratio mortalis habebat
Semine diuerſo diuerſa animalia naſci,
Atq́ alia ex alijs prodire inſecta ſub auras,

Perq́

Perq́ vices naſci de rebus ſemina rerum.
Sic eruca perit, de qua ſub tempore Veris
Papilio calidam pinnis emergit ad auram.
Sic anus exuuias ponit ſub fronde cicada,
Unde alia egreditur quæ pollet in arte canendi.
Sedula de putri veniunt examina tauro,
Ac aſper crabro fibris generatur equorum,
Aut Aſini latere effœto Scarabæus in auras
Editur: & ſpinæ ſerpens producta medullis
Fertur, vbi è viuis hominem natura remouit.
Nam licet humana procul à ratione repulſum eſt,
Vnde vicem rebus genitrix natura rependat:
Par tamen eſt, mentes retineri indagine rerum,
Ac oculis paſſim comperta exempla tueri.
Nam Deus in brutis morum ſimulacra notauit,
Lucet vbi expreſſis ratio diuina figuris.
Exanimis quòd apes, & dulcia mella creat bos,
Vſibus apta pijs, placat qua numina Flamen,
Omen habet ritus: fieret cùm victima Chriſtus,
Ex illo ingreſſum dulcis doctrina mouebat,
Quæq́ apis exemplum præſtat gens dedita Chriſto.
Cur tamen ex hominum præſtanti corpore ſerpens
Emergit, radijs vbi ſpina interſita dorſum
Munit, & vt fixis intus cor ſepibus ambit?
Nempè homini infudit lapſo contagia ſerpens,
Hoc alitur vicium producta in ſtirpe nepotum,
Et liquefacta hominum ſerpens per terga creatur.

Nam reus æterna ſi quiſquam in morte manebit,
Mente,habituq́; geret formam ſerpentis auiti.
Hæc,& plura tenet memori dum pectore Simſon:
Dicta per ambages vulgi proponit ad aures
Obſcuris vera inuoluens, ſed cognita nulli
Facta prius: Nam quòd tauris examina creſcant,
Fama acceperunt; ſimilis natura leonum
Obſeruata fuit nullis cultoribus agri.
Ac prior,heus, inquit, iuuenes recludite ſenſus
Contexti inuolucri, tollat ſua præmia victor:
Præbet edax victum, & dulcedine fortis abundat.
Ergo agite, & ſenſum ſi veſtra indago latentem
Eruet in lucem dum ſeptima fulſerit Eos,
Quiſq; ex hoc numero quiddam mercedis habebit,
Et numerum æquabo feſtæ cum veſtis amictu.
Ergo agite, & ſenſum ni veſtra indago latentem
Eruet in lucem dum ſeptima fulſerit Eos,
Ipſe ex hoc numero tantum mercedis habebo.
Sors placet, & varijs errat ſententia dictis:
Nam quannis duro præſtantes robore tauros
Vlterior vocum ſtructura notare videtur,
Vana tamen membrum prius argumenta refellit:
Flore famem ſoluunt tauri, non cæde ferarum.
Ergò vbi non cauſſæ ſententia digna reperta eſt
Septima dum cælo ſtellas Aurora fugârat:
Conſulto ſtatuunt, precibus quò victa puella
Prodat eis ſenſum inuolucri ſermone ſagaci,

Ni faciat, flammis ipſam ſubuertere certum eſt.
At primùm paſſa eſt voto pereunte repulſam
Fœmina; ſed poſtquàm lux ſeptima protulit ortus,
Inſtanti veniam dedit, & conſultus in auras
Expediјt Simſon tacito quod pectore texit.
Ad fremitus habuit qui corda inuicta leonis,
Ad gemitus habuit non corda inuicta puellæ.
Ille dedit cauſam, ſed eam dedit illa viciſſim,
Quæ ſenſa audierat, mox ſenſa audita recluſit:
Multa audire decet mulierem, multa tacere.
Iamq; vbi lux vitreo merſit ſe ſeptima ponto;
Collecti iuuenes quæ ſint ea geſta reuelant
Tecta modis miris, arcanaq; ſenſa recludunt:
Nil mellis ſucco præſtat, fortiq; leone.
Poſtquàm conſilia in lucem clam prodita ſenſit,
Talia flammato iactabat pectore Simſon:
Ni vitula in veſtros operam mea poneret agros,
Non foret inuolucri ſententia certa reperta,
Cordaq; vanus adhuc error ſuſpenſa teneret.
Sed Deus ipſe viro vires incuſſit, & artus
Impulit, afflatu præbens fomenta furoris.
Ergò iter accelerans defertur in Aſclonis oram,
Atq; illic anima cum veſtibus exuit hoſtes,
Præmia deponens illis qui ſenſa tenebant.
Tempus erat quando ad fructum iam ſpicea dona
Proceſſêre, iacent connexo faſce manipli;
Cùm fama ignaras Simſonis perculit aures

Conſortem thalami tæda ceſſiſſe iugali.
Nec conferre gradum, aut defectus poſcere cauſam
Conceſſum eſt ipſi, durus ſocer irrita iactat
Iura thori, pactoſq; aliò traducit amores.
Hanc meliorem animam tibi pro peiore rependam,
(Inquit, & hanc offert,) veteres nunc excute flāmas,
Hæc minor eſt æuo, formæ ſed imagine maior,
Et nullius adhuc tetigit deuota cubile;
Hanc tu iterum nuptam thalamo ſociatus habebis,
Omnes vt tecum, ni mors intercipit, annos
Exigat, & menſam pulcra cum ſtirpe coronet.
At Simſon ſcelerum impatiens, tantæq; repulſæ,
Nec dum etiam fictæ lacrymæ, nec prodita ſenſa
Exciderant animo, tandem ſic voce profatur:
Tantáne vos tenuit ſtirpis fiducia veſtræ,
Nunc aliena fide rupta miſcere paratis
Connubia, & pactas audetis vertere leges?
Vos ego clade omni Martis, modò vita ſuperſit,
Inſequar, & culpam hanc veſtrorum morte piabo:
Hæc effatus, & in verbo veſtigia mouit.
Haud impunè quidem ſiuit Manoëius heros,
Nanq; plagis ſaltus cinxit, vulpeſq; ſub imis
Rimatus latebris deprendit, & igne micantes
Aſtrinxit tædas caudis per mutua nexis.
Ecce autem vulpes flammæ metus ipſe nitentis
Concitat in rabiem, ſæuit magis ignibus ipſis
Accenſus furor, & nunc huc, nunc impulit illuc,

Omnia quo circùm diſcurſu viſa repentè
Feruere culta ſoli, & paßim conſidere in ignes.
Fortè Philiſtæas rumor cùm venit ad aures
Simſonem pro iure thori, turpiq́ repulſa
Cenſuram exigere: autores in fœdere rupto
Demiſêre neci flammis cum ſtirpe, domoq́.
Occidit vna domus, ſed non domus vna futuras
Sufficit in pœnas, eadem ſors obruit omnes.
Eſt curuo anfractu ſpelunca, receptibus apta,
Aſpera quam natura loci cum faucibus arctis
Fecit inacceſſam, & multa circùm arbore texit.
Huc iter occultum ſubter caua viſcera montis
Tendit, & acceſſum vaſti tegit obice ſaxi,
Dum patriam ſignis cinctam tenuêre Philiſti.
Ciuibus vt tanti motus eſt reddita cauſſa;
Unà omnes qui ſe patria tellure tenebant
Continuò vires hoſti, & ſocia agmina iungunt,
Et iuueni in latebris intendunt vincula collo,
Sorte data, ne quis vinclis cædem addere tentet.
Aſt iram Deus exciuit, vimq́ addidit iræ,
Cùm ſubitò incautos Simſon crinitus in hoſtes
Proruit, exoluitq́ manus, & gutturis oſſe
Ex pecude Arcadia profligit mille viros vir.
Nuncq́ hos digreſſus, nunc hoſti intercipit illos,
Nec dare terga fugæ patitur, nec tendere contrà.
Non aliter ſerpens ſquamis defenſa, ſuæq́
Duritia pellis ſine telis occupat hoſtes,

 Hos

Hos premit amplexu, cohibetq́ volumine tergi,
Hos animæ vitio necat, illos tabe veneni.
Tum verò gemitus triſti ſub morte cadentûm
Auditur; factis manat cruor vndiq́ riuis.
Non hæc humanis animis, non arte magiſtra
Proueniunt, nec eum ſua dextera ſeruat in hoſte,
Maior agit membris Deus, & Deus incitat artus.
At veluti latebris anguem cùm traxit ab imis
Ceruus, cum dira ſitis à contage fatigat,
In nemore & laticem fontis rimatur opaci:
Sic vbi languebat tanto in diſcrimine rerum,
Tum ſitis in venis calido collecta labore
Corripuit iuuenem, visq́ omnis abiuit in auras;
Ora tamen votis aperit: Nunc ſuffice lapſus
Summe pater vires, animumq́ impelle labantem:
Non hoſtis ſpolia vlla peto, non tanta cupido
Mentem agitat, ſicco ſed iam ſitis ora palato
Corripit, & feſſos quatit æger anhelitus artus,
Vix etiam fauces tibi nunc in verba reſoluo,
Sat mihi lingua vadis humens, hæc noſtra cupido eſt.
Annuit, & feſſo voti ſuccedere partes
Mente dedit genitor, ſed enim, mirabile viſu,
Maxilla in veteri fiſſus præbebat aquam dens,
Et rimam emiſſo fontis liquore trahebat.
Intercà dum fata virum dant luce potiri,
Rectoremq́ ſinunt terris dare iura paternis:
In thalami partem turpem contraxit amicam,

Hic

Hic vbi Gaſa patet vallis munita profundis.
Excubias verò compertis rebus agebant
Cultores vrbis; dehinc fultos obice poſtes
Munibant, aditumq́; omnem cuſtode tenebant,
Vt captum ad lucem ſeruent ſub mœnibus vrbis.
Iamq́; orbem cœli medium nox acta ſubibat,
Cùm ſomno excuſſus ſurgit, fraudesq́; refellit,
Atq; loco valuas mouet imo è ſtipite raptas,
Ac humeris præ ſe portans faſtigia montis
Accenſu ſuperat, medioq́; in vertice figit.
His ita tranſactis, mox ad Sorecidis amnem
Infamem Delilam Simſon complexus amore eſt,
Quæ vitam tolerare colo, tenuiq́; Minerua
Sueuerat, ac quæſtus inhoneſta ex arte parabat.
Confeſtim hanc adeunt proceres, & ſortis egentem
Inuitant precio, ſi cauſſam inquirere vellet
Quâ ſita vis magno ſe corpore miſceat intus.
Quæ ſcelera humanis animis non ſuadet egeſtas?
Sed multis vicibus de robore multa rogatus
Verba dedit Simſon, & ſpe deluſit inani.
Ergò rudis lini ſeptena volumina ſtrinxit,
Sub iuga quò Simſon ducatur ab hoſte ſuperbo:
Mox alios, totidemq́; ligat per membra rudentes,
Quos tamen ac nodum lino de ſimplice rupit.
Torta dehinc capiti de canabe licia nectens
Parietibus fixo coniunxit acumine ferri.
Hic tamen eripuit letho ſe, & vincula ſoluit,

Et ſimul auulſa clauos ceruice retraxit.
Nam quia criſpantes pendent de vertice villi,
Non hoſtes vincire virum, nec vincere poſſunt.
Sed cùm blanda modum votis non poneret vllum,
Delila, tum verbis victus rem prodit amicis.
Olli (ſenſit enim robur ſub crine teneri,)
Fas omne abrumpit, polluto & voluit amore
Grande nefas; ſedet hoc vnum ſub pectore fixum
Intentare necem iuueni, ne obtendere contrà
Poſſit, & ad ſolitas accingi roboris artes.
Iamq́; adeò dulci iacuit cùm lumina ſomno
Obrutus: excubias proceres in limine ſeruant,
Et mulier ferro incedens inſtructa bidenti
Stat ſuper ora viri, fatali & turpis amica
Crine marem ſpoliat, prædisq́; potita nefandis
Clamat, iò proceres, date tela, includite vinclis.
Nec vires poterat conferre ad prælia Simſon,
Sed palmas ad Martis opus tendebat inanes,
Nec quicquam vlterius ſolitæ virtutis habebat.
Defectum virtute trahunt cum reſte tenaci,
Perſpicuosq́; cauæ prædantur frontis honores,
Atq; ſinus reddunt euulſæ lucis inanes,
Et ſic piſtrini includunt ſtridentibus antris,
Vt Cererem frangat dura cum ſorte laboris.
Ergò omnes longo ſoluunt præcordia luctu,
Quòd tandem indomitum ſors dextra ſubegerit hoſtē,
Conciliumq́; duces prælustri in limine cogunt,

Diſcumbuntq; thoris, auroq;,oſtroq; decori,
Atq; fidem voti ſoluunt ex hoſte ſubacto.
Intereà ingluuiem dapibusq;,meroq; replebant,
Accitu in medios hoſtes hoſtemq; trahebant,
Atq; oculis captum media regione domorum
Ponebant; gens omnis eum ſtipata tegebat
Illudens capto, & vim certans addere victo.
Sed coma Naſiri iam trunca cacumina nudo
Vertice protulerat, cùm vis habet alta regreſſum,
Tum ſocio impubi Manoëius imperat heros
Ad loca deducat iunctis per mutua palmis
Quâ domus incumbit geminis innixa columnis.
Paret, & ad ſtatuas puer orbum lumine ſiſtit,
Nam ſolus lateri hærebat, greſſumq; regebat.
Nec mora, trans ſtatuas protendit vtrosq; lacertos
Obnixus, tollitq; loco, quaſſatq; trementes,
Suſtollensq; oculos cælo, ſic voce precatur:
Supremum hunc Deus alme mihi concede laborem,
Nunc moriamur, ait, ſed non moriamur inulti,
Ipſe ego conuellam quaſſati culmina tecti,
His me, quando aliud melius nihil ipſe reliqui,
Aggrediar telis vel in ipſa morte tueri,
Morte mea vincam,quos vincere neſcio Marte.
Dixit, opemq; Dei non vana in vota vocauit:
Nam pariter ſtatuas magna vi ſtrenuus ambas
Impulit in latus, & domus alta repentè ruinam
Cùm ſonitu dedit, & procerum ſuper incidit agmen.

Victores,

Victores, victusq́; cadunt, mors omnibus vna,
Sed finis diuerſus erat, victoria victo eſt. (*mis*
Nam iuuenem egregiũ functum iam luce, ſupre-
Muneribus decorant, & ſaxum carmine ſignant:
Crinc potens Simſon patria requieſco ſub vrna,
Mors mea deuicit, quos Mars non ſuſtulit hoſtes.

S I M S O N
L I B E R S E C V N D V S:

SI mihi fas pictam Nohæ vidiſſe carinam
Nare per irriguos tractus, cùm penderet omnis
Terra nefas commune, feræq́;, hominesq́; perirent,
Ciſta ſed exciperet luctantes pinea fluctus
Incolumis ducente Deo, qui fœta procellis
Stagna, vicem rectoris agens, componere fluctus
Iuſſerat, ac hominum meliori parcere ſtirpi:
Non adeò mentem mulceret grata voluptas
Indulſiſſe oculis, quàm vocem hauſiſſe ſalubrem
Victoris lethi ſuperis cùm redditus auris
Emai ad vicum geminos inſtruxit alumnos
Prouida de Chriſto Vatum ſimulacra reſignans.
Scrinia compoſuit Moſes, vbi cœlica clauſit
Iura, docens Legem nobis monſtrare reatus:
Impoſuitq́; thronum, quòd quanuis crimina mõſtret
Cordibus, at Legem nobis non poſſe ſalutem
Reddere, ſed damnare reos, vt conſcia labis

Pectora,

Pectora, commotum fugiantq́, tremantq́ Tonantem.
Ergò vt mole ſua velat thronus abdita iura:
Haud ſecus & Chriſtum cenſuram auertere Legis,
Iuſticiaq́ ſua ſontes velare neceſſè eſt.
Sic erat & Simſon ſimulacrum nobile Chriſti,
Innuba ſacrato Naſirum Flamine mater
Quem genuit, Solymi reuocato à ſanguine regis.
Hunc genitor regem ſtatuit, qui in verba ſalutis
De cœlo veniat mundo, & legat agmina Verbo,
Conſortesq́ ſuo dicat de nomine gentes,
Solus vt ille ſuæ caput, & fiducia ſponſæ
Eſſet: & hinc Chriſti dicta eſt Eccleſia corpus.
Nec me animi fallit, Matthæum in ſenſa venire
Mecum eadem, taciteq́ ad res alludere eaſdem,
Æmula cùm fecit Naſiri nomina Chriſto,
Quæ Manoæ nato dederat mirabilis Ales.
Chriſtus enim expoſitas cùm tēpli in limine merces
Voce loco mouet, ad vocem fugit inſtitor amens:
Aut in humum verbo fuſos vbi perculit hoſtes
Montem Palladia dum cingunt fronde virentem:
Aut vbi morte ſua victor, tot funera in hoſte
Perficit, & nigras ſedes euertit, & omnes
Proſternit peſtes Erebi, mortemq́ vorat mors:
An non exemplum Simſonis habere videtur?
Quin, hunc iuſticiæ Solem cognomine dicunt
Queîs aperit fatis ſacer impetus ora futuris.
Omnis in intonſo Chriſti ſtat crine poteſtas,
Quem

Quem ſparſum Aſſyriæ luſtrauit frondis odore.
Nempe coma, exemplum Verbi tenet; omnis in illo
Vis latet, & regni impendens ceu nixa ruina eſt.
Hic externa adhibet verbo monumenta ſonanti,
Promiſsis addens pignus: Nam rore ſalutis
Gratuitæ renouat fœtum, qui luce carenti
Par fuerit, primas genitrix cùm fudit in auras.
Sed luſtranda ſacro ſub gurgite membra lauantur,
Et rurſum generat præcordia credula Flatus.
Inde omnes, vitæ quos tædet turpiter actæ,
Proſequitur venia, & commiſſo crimine ſoluit.
Cùmq; animas ſitis, atq; fames ſub corde fatigat,
Ipſum ſe nobis epulandum præbet, & hauſtus
Sanguinis, arcana Fidei ratione miniſtrat.

His pater ipſe ſuos ærumna ſeruat in omni
Non alijs telis: his idem friuola perdit
Agmina, qui fidæ gaudent ſe opponere genti.
Durate, atq; animis Verbum ſupponite veſtris:
Nanq; vbi perdiderit Chriſti reſpublica verbum,
Perdidit omne decus, nec habet ſua robora corpus.

Ergò operis cauſam qui vult comprendere noſtri,
Tum ſciat, à primo genitalis tempore mundi
Si rerum inſpiciat ſeriem, quo numine Chriſtus
Duxerit in mundo cœtum ſua ſacra ſecutum,
Præbueritq; ſuis neruos, & robora membris:

Nam ſua regna Deus Verbi virtute tuetur.

Principiò ſummi regis cùm filius olim
Vellet in humana ſponſam ſibi ducere gente
Omnibus excerptam terris, cui patria regna
Annuat, & ſecum conſorti in honore reponat:
Ecce recens ætas catulos imitata leonis
Hunc contrà ingreditur, fremituq; laceſſit auaro,
Nec patribus parcit, quorum ſub pectora ſparſum
Nūmen erat, toto ſed ſtabat robore contrà,
Decreſcit pietas, creſcit genus omne malorum.
Idcircò pater omnipotens in corde furorem
Traxit, quo tumidum Phaëtonta remouit Olympo,
Antè Dei natum confini vt ſede locatus
Diuinum preſſit ſolium, noſtræq; ſaluti
Inuidit, cùm tergemini decreta ſenatus
Antè æui ſancita dies percepit, vt olim
Ipſe Dei natus demiſſus imagine vili
Inuiſat mundum, nec formam luce coruſcam
Spirituum regione poli, ſed contrahat artus
Humanos, ardore hominum, maſſamq; caducam
Suſpendat collo, patriaq; in ſede reponat.

Nec mora, diffuſis omni de parte procellis
Mergebat totum pluuijs vltricibus Orbem,
Omnis vti videatur in imbres vertier æther,
Nec mare, nec tellus vllum diſcrimen habebant:
Tantæ ne in culpas animis cæleſtibus iræ?

Hinc ſed ab extincto fatali in gurgite mundo
Naſcebantur apes, Semo cum fratre Iaphetus
Dulcia promiſſo de Semine pacta ſonantes,
Cuius in officio patrum ſpes nixa quieuit.
At cum Tharidæ diuûm pater, atq; hominum rex
Æternum haud longo ſancit poſt tempore fædus,
Omnis vt à teſta genitali in parte putetur
Cùm dias hauſit niſu mas æditus auras:
Gentibus vt monſtret ſtirpem nota fæderis huius,
Ex qua mortales Verbum Patris induat artus.
Huius item membri pars trunca monere volebat
Non maris officio veniet quòd ſemen in auras
Deuotum primo felici in valle parenti.
Hinc vbi tercentum labuntur curſibus anni,
Adde quater denos quos Sol exegerat orbes:
Tum Deus Abrami ductam propagine gentem
Ex operum faſce in Pharia regione leuauit,
Nec non immunes à furni reddidit æſtu.
Sed mox propoſuit Sinai de vertice Legem,
Deponens Canaan quo ſecum pignore certent,
Si poſſent animo veros deprendere ſenſus:
Nam ſeſe voluit ſub imagine pingere Legis.
Ergò datæ Legis valeant quò reddere cauſam,
Iungunt ſe ſocios ſponſæ, quam rector Olympi
Conſciuit thalamo, Vatum, legumq; peritam,
Atq; illic inſtant fatorum exquirere ſenſus.
Tum Deus excindit ductores Marte Philiſtas,

Et

Et iubet in numerum partiri regna vocatis
Hoſpitibus Ioſuam, Canaæ qui rura ſubegit.
At regina thorum ſponſi pertæſa pudicum,
Cui genitor ſceptrum dederat, regniq́; coronam,
Vulnus alit venis, externaq́; numina paßim
Ardet, & abrumpit fœdus, ſoluitq́; pudorem.
Quam ſimul ac tali perſenſit peſte teneri,
Æqua ſolo poſuit Iudæi culmina regni,
Et verſas fundo res tranſtulit; alta dederunt
Vulcano ſuperante deûm delubra ruinam.
Tum ferro vicos cognatæ gentis, & igni
Hauſit, & accitos in mutua fœdera traxit
Ductores, quorum ſimulat mens callida vulpes.
Continuò vincti ſocia agmina fœdere iungunt,
Et quæcunq́; feri cunctis eſt copia Martis,
Huius in exitium conſtructam vertere gaudent.
Mox erat hoc ipſum fraudi ductoribus ipſis,
Quæſitæq́; nocent artes, ſcelerumq́; magiſtris
Incumbunt, armis dum ſeq́;, ſuosq́; gerendis
Perdunt, & patriæ vertunt in viſcera vires.
Ergò ſui gregis in membris ſatus ille Tonante
Affectus vinclis trahitur Babylonis ad oram,
Dum ter mille hominum Vatis præcepta ſequuntur
Ieremiæ, ſubduntq́; iugo ſua colla tenaci.
Nam poſtquam imperium Ioſia generatus habebat,
Tum cinxit Solymas armorum indagine valuas
Aßyriæ rector, tituli qui in fragmine primo

 Deductam

Deductam tenuit ſimulacri à nomine vocem
Quòd veteres, Nebo, diuino nomine dicunt.
Hinc Nabuchdonoſor, diuinus nomine iudex
Aßyriæ ſonat, Aßyrij genus Aſſure ducunt.
Aſt arguta cohors Vatum, quò nomen in omen
Inuertant, diriq́; notent immania regis
Auſa, loco tollunt Aſſur, Nezarq́; reponunt:
Nam Solymam vaſtator humum tot cladibus vrgens
Affecit, fundoq́; deûm penetralia vertit:
Auſus quin etiam monumenta auellere templo
Sacra dei, & flammis venerabile mergere tectum,
Et Syriæ florem gentis natalibus oris
Auulſit, dura nimium ditione fatigans.
Sed poſtquàm Iſacidûm ſtirpi Chaldæa propago
Inſultat probris, & ne monumenta ſuperſint
Vlla piæ gentis, fixum eſt abſumere ferro,
Et iam vim vinclis temerarius adijcit Haman:
Tùm pater ipſe ſuum, quo digerit omnia, numen
Miſit, & agnatæ ſtimulos in pectora gentis
Incußit; tùm vincla Coren, fortemq́; Darium
Arcta leuare iubet, gentemq́; reſoluere nexu,
Et ſimul ex aſina maxillam tollit auita,
Cui molem impoſuit Moſes ſub lege ferendam,
Scilicet heroas Deus arte, & Marte potentes
Suſcitat impulſu, Danielem voce ſonantem
Fatorum ſenſus, Eſramq́; in lege peritum,
Hachaliaq́; ſatum, Mardochæumq́; reflexo

Qui

Qui negat eſſe genu vultus ad Hamanis iniqui.
Hi demum valido muniti numine pectus
Inuadunt hoſtes Babylone, & Perſide ſparſos,
Et penitus toto Iudæos orbe vagantes
Reſtituunt, raparant regnum, cultusq́ ſacratos.
Intereà curſus aliquot peragentibus annis,
Antiochus, clari generis quem gloria tollit,
Inſultu exercet doctrinæ membra beata,
Gentis & exhaurit vires: nam ſcrinia ſacri
Ponderis in Solymæ reddebat inania templo,
Ære ſacros vultus ſtatuens, adytoq́ reponens.
Tùm multis vicibus bella inteſtina mouebant
Aſmonij proceres, externaq́ fœdera inibant
Gentis, & in partem belli, prædaq́ vocabant.
Herodes natu grauior, cùm dira tenebat
Frena, plagam Solymam plagis conflixit acerbis,
Odit quos metuit, tollit quos ſurgere cernit.
At Iudæus homo poſtquàm res eſt malè geſta,
Corde ſuo trepidat, feruent bella impia, feruent,
Sub pedibusq́ iacet reuerentia debita ſacris.
Fortè ſed hîc Solymæ cultores occupat æſtus,
Præq́ angore ſitim fibris cor intus anhelis
Colligit, extrema vitæ labentis in ora,
Cùm nuſquam caperent prouentum ſemina verbi:
Nam Bacchi, & Cereris facilis iactura fuiſſet.
Rari quippè boni ſacra in ſtatione manebant,
In quorum numero partem Machabæus habebat,

Et Simeon, Parcæ cui penſa extrema legebant,
Quem deſiderio Chriſti cortyna teneri
Vidit, vt à ſacro reſponſum flamine cepit
Non niſi præuiſo viſurum funera Chriſto.
Talis Sacharias, quo non Iordanis ad vndam
Cùm conſorte thori reuerentior vlla deorum
Stirps erat, officium ſacræ quæ ſortis obibat.
His Mathani natum, ſociamq́, genusq́, propinquum
In numerum refer, et numero quos prendere non eſt,
Qui cuncti in fœtum mulieris ventre futurum
Spectant, atq́, in ſpe requieſcunt huius ouantes;
Et finem illorum reſpublica priſca ſecuta eſt.
Ecce Dei natus tanto in diſcrimine languens,
Inq́, ſuis orans, ſua ceu per membra, miniſtris
Tangit opus querulum veræ pro fonte ſalutis.
Sed genitor cladem metuens in gente fideli,
Annuit, atq́, aſinæ maxillam findit auitæ
Gente ſub Hebræa, Vatemq́, in luminis auras
Ex ſterili producit anu, qui fontis ad inſtar
Irrigui, puris luſtrabat crimina lymphis.
Ille ſiti affectos vena labente ſalutis
Reſtituit; tum membra vigor ſub tabida venit.
Parua mora eſt, ſequitur ſacri veſtigia Vatis
Chriſtus, & ingreditur valuis, atq́, aggere cincta
Mœnia, quæ ſacræ ſpectant iuga celſa Sionis,
Et genus incœſtum vitæ melioris ad vſum
Hortatus, vocat in partem regniq́, thoriq́,

Nec

Nec deſpecta prius fugit connubia, quamuis
Heu temerè exoluit contrà data fœdera nexus.
Sed poſtquàm voluit Synagogæ iungere fœdus,
Et pia doctrinæ commertia Chriſtus habere:
In furias, odiumq́; ruunt, & protinus omnes
Collecti proceres, quibus eſt commiſſa poteſtas
Imperio gentem premere, & quibus addita cedit
Cura ſacræ ſortis, ſummis conatibus audent
Condere fraudis opem, ſi quà ſors adiuuet auſa.
Pars cuneos in bella legunt nocturna, manusq́;
Inijciunt, peraguntq́; reum non criminis acti,
Nec rabiem ſatiant donec mersêre ſepulcro.
Aſt vbi ſub cauea tumuli, in ſtatione manentes
Excubias ſeruant vigiles: tum victor ad auras
Exijt, & nulla paſſus ſe mole teneri eſt.
Aſcenſu hinc ſuperat ſublime cacumen Olympi,
Deiectasq́; Erebi valuas, & rapta trophæa
Inferna ſub ſede, poli de vertice figit,
Sub pedibusq́; videt nubes, & ſydera Chriſtus.
Vix dum luſtra ierant annis voluentibus octo,
Cùm Titus eductis ſurrexit in arma maniplis,
Romanasq́; aquilas Solymi ſensêre coloni,
Aëria quas ſortè plaga longè antè videbat
Ad Syriæ tractus pennis ſe aduertere Moſes.
Fit cædes vrbe euerſa, flammæq́; furentes
Culmina perq́; hominum voluuntur, perq́; deorum.
Ergò vbi paſſa fuit diuino in amore repulſam

 Gens

Gens ingrata Deo, veterumq́; oblita bonorum:
Tum genitor miſeros dignatus amore Iaphitas,
Vatem, Tharſiaca qui ſe de gente ferebat,
Sede poli nobis in fœdera ſacra venire
Præcipit, & quæ ſit noſtri deferre cupido.
At Satanas fatale odium, fatalia bella
Æternùm Chriſto intentans, verboq́; ſonanti,
Haud paſſus tantos lætè procedere amores
Inuidia noſtri, ſed mox molimine vafro
Ingenia exciuit, quæ ſacro in codice verbis
Quaslibet inducant nullo diſcrimine formas,
Et rectum eludant ficta ſub imagine ſenſum.
Inde gregem Chriſti cultorem excindere ferro
Conatus, mouet arma ducum, paßimq́; piorum
Sanguine ſquallet humus, nec fixa eſt meta furori.
Sed quò cæde magis, factisq́; immanibus inſtat
Latro: pij generis tantò magis auctus habebat
Euentum numerus, qualis cùm fœta procellis
Crebrior exercet nothus æquora, denſior altis
Nubibus excutitur grando: tum multa marinis
Gemma venit conchis, & in auras pulcrior exit.
Ergò vbi nil actum eſt ferro, non immemor artis
Ille ſuæ contrà, nouus emicat, inq́; miniſtrum
Luminis, in dubijs dicturum oracula rebus,
Contulerat verſos ſimulato numine vultus.
Hacq́; adeò ſpecie effulgens incognitus ibat
Sacratos inter proceres, virusq́; per artem

Ipſe

Ipſe ſuum inſinuans, ardorem infudit habendi,
Et leuis ambitio ſtimulos incußit honorum.
Tum certamen erat magno de nomine magnum,
Et paßim figit leges hic, ille refigit.
His, alijsq́ modis Stygio compulſa furore
Agmina, tentabant Chriſti conſtringere membra.
Sed quia pendebant ſummo de vertice Chriſti
Membra, vigor quæ ſanus adhuc electa mouebat:
Non vincire poteſt Chriſti, nec vincere membra
Hoſtis atrox, ac ipſe ſuis vafer excidit auſis.
Nam cor in arbitrium Verbi fixêre potentis,
Et mentes ſacri tenuit fiducia roris.
Iamq́ nouas iterum tentabat lubricus artes,
Atq́ aliquos templi pinnarum in vertice ſiſtit,
Et proponit opes, & quos habet Orbis honores:
Hîc qui forte velint à tramite flectere Verbi
Inuitat precijs animos, & pignora ſiſtit.
Munera præcipuè ante oculos, circoq́ locantur,
Sceptra, voluptates, & lætis otia rebus.
Extemplò aduertunt mentes, donisq́ propinquant.
Qui loca prima tenent, ſequitur quos cætera turba:
Veraq́ relligio pedibus ſubiecta vicißim
Proteritur vulgò, Chriſtiq́ iubentur alumni
Ad morem legis genitali in parte recidi.
Pars rem diuinam facit, & te Chriſte nefando
More litat Patri: Nam quæ monumenta ſalutis

Fixit, in extremum legatum, & pignus amoris:
Illi hæc pro voto viuorum, & luce carentûm
Libant, & Chriſti contraria legibus audent.
Pars Chriſti meritum, fuſumq́; in morte cruorem
Pro nihilo pendunt, & inania numina fingunt.
Omnis in heroas veniæ ſpes vixa reſedit
Triſtia qui Chriſtum faſſi ſunt funera paſſi,
His tribuunt vires auctoribus, hosq́; Tonanti
Obſidis in morem pro ſe deponere tentant.
Pinguibus hi menſis etiam diſcrimina ponunt,
Et tædas inhibent his qui ſacra munia tractant.
Hisq́; modis iterum, veluti de canabe nodis,
Membra parant Chriſti ſcelerata lege tenere,
Atq́; hos, atq́; illos aditus, omnemq́; pererrant
Arte locum, ſi quâ poſſent vim ferre latentem.
Sed contrà eſt ingreſſa palàm doctrina, nec vllos
Paſſa dolos, ſacris eſt auſa obtendere dictis.
Æternum ſeruans igitur ſub pectore vulnus
Molitur vires coluber, ſi frangere tandem
Poſſet, cui toties dentem in veſtigia figit.
Aggreditur, loliumq́; bonis ignobile granis
Miſcet; pro ſpicis tactu venit aſpera meſſis:
Nam velut innexo ſacratam fune ligaret
Cæſariem Chriſti: tali ratione profanas
Miſcuit incautè ſacris cæleſtibus artes,
Verborumq́; fidem pictura cluſit inani:
In facinus iuraſſe putes, ita ſemine multo

Fertur

Fertur atrox error, Getico nec limite tantùm
Continuit greſſus, ſed humum quoq́; fraudibus implet
Sole ſub occiduo poſitam; ceu viſcera Cancer
Cùm premit, & virus vires acquirit eundo.
At vulgi inſtabiles animi, cæciq́; furore
Iudeæ gentis veteri ſe more tenebant.
Pallade nam ſacros vngunt ſine crine miniſtros,
Aroniſq́; modo, præfectum ſumma gerentem
Frena ſacræ ſortis, diuinis vſibus aptant.
Accipe nunc Sathanæ inſidias, & crimine ab iſto
Licia diſce, quibus Chriſtum Babylonia pellex
Aggreditur, capitiſq́; ſacrum flauentis honorem
Colligit in nodum: tum figit acumine claui
(Hunc de dente feræ, quam vidit in ordine quarto
Ferre gradum Daniel, Phocas incude peregit,)
Præſulis ad ſolium, currit quà flumine Tybris.
Maximus ille hominum, diuûmq́; interpres Aſylas
Arbitrium cœli ſumſit, noctiſq́; profundæ:
Nanq́; vicem diui ſimulat, quem maximus Orbis
Præfectum Chriſti gregibus, dominumq́; ſalutis
Accipiat; ſontes animas ille euocet Orco
Pallente, aſt alias tenebroſa in tartara mittat,
Omnibus inuitis qui quenq́; audere laborem
Fas habet, hos ſoluat qui crimine, & implicet illos.
Vendidit hic auro cœlum, Chriſtiq́; cruorem
Depoſuit, fixit leges, Verbumq́; refixit.
Tum verò res ſacra loco verſatur in arcto,

Stant acies, ferrumq́; tenent; hei penè remoto
Omnia cùm Verbo ſolatia rapta fuerunt.
Sed proceres Aſiæ ſacrorum frena tenentes,
Bernârdusq́; tenax fidei, ſocijq́; laborum
Qui benè Conſtanti ſedem tenuêre ſub vrbe,
Atq́; alij, quorum frontem ſacra infula texit,
Ne latum voluêre ſuis de partibus vnguem
Terga dare, aut victi ſua terga dediſſe videri:
Vera probant cauſis, & inania dicta refellunt,
Fortiaq́; iniuſtis opponunt pectora rebus:
His adde Heroas, qui cornua ſumma tenebant,
Imperij, & iura æqua dabant per Teutonis oram.
Omnes nam retrahunt clauo ſua colla tenaci
Quò caput intonſum Chriſti, verbumq́; ſacratum
Degener adfixum Petri ſucceſſor habebat.
Haud illi genibus ius accepêre minores,
Sed ſeruare Fidem ſumma nituntur opum vi.
Nam vulgi antè oculos doctrinæ oracula ponunt,
Atq́; occulta modis quæ prodidit omina miris
Inſtructus ſacro Iohannes numine mentem.
Aſt vbi gens hominum ſceleri ſcelus addidit: & (iam
Copia vocalis peperit faſtidia verbi:
Senſit atrox Serpens quòd opis fiducia noſtræ
Pendeat inuicti villoſo in vertice Chriſti,
Omnis & in verbo virtus ſtet fulta ſonanti.
Ergò furens animis aderat, verbumq́; ſacratum
E medio tollit, ſpem, portum, auramq́; ſalutis.

Stat manus ampla virûm, ſtygiæ ſtant agmina gentis
Structa, parata dolis, & aperto tendere Marte,
Intenduntq; acies, & tela micantia; ſignum
Quod petitur, Chriſti caput eſt, Fideiq; magiſtra.
Prima duces ineunt mota certamina lite
Arrius, & Getico tonſus cum numine frater
Sergius; hi Chriſtum diuinæ ſtirpis habere
Iura negant: alij carnem cum numine nexam:
Graia Dei nati perſonam ſana ſecabant:
Excidit his animo ſaluantis imago cruoris
Qui ſemel exoluit mundi pro crimine mulctam.
Hinc morem inſtituunt ſacrorum, & noxia gentis
Corda iubent proprio delicta rependere niſu,
Et ſibi ab integra cœli ſpem quærere vita.
Orbe ſub Eoo venit Alcoranus in Orbem,
Occiduiſq; plagis edunt decreta ſub auras,
Ranarumq; modo, quarum vis numine læſo
Ægypto incubuit, replent erroribus Orbem,
Accinguntq; omnes operi, ſtringuntq; lacertos,
Vt villi ſpolium Chriſti de vertice carpant.
Tùm ſacros libros vulgus ſine acumine mentis
Negligit, & fœdas prætendit aranea telas.
Iungit opes, iungitq; manus cui Iulia nomen
Stirps dedit, & ſacros Muſarum intercipit vſus,
Et parat infandas in pubem ſpargere chartas,
Cum quibus excutiat vero de calle ſalutis.
Impediunt alij doctrinæ ſenſa figuris

Perplexis,

Perplexis, tantumq́; vmbras, & ſomnia captant.
Monſtra hominum fuci ducentes otia cellis
Dant operam genio conceſſaq́; munera doctis
Alueolis; vertunt ignaui ventris ad vſum:
Centum vrbes habitant magnas, gentemq́; coercent
Imperio, immemores ſtudiorum, & ſortis auitæ;
Euehitur nemo, niſi cui fortuna benigna eſt.
His affecta modis ſummi nurus ægra parentis
Cæſariem perdit robur fatale tenentem,
Et capitis ſpolium ſibi degener aſſerit hoſtis.
Arboribus folium, telluri gramen honori,
Lana nitens agnis, auibus ſua pluma decori eſt,
Deme auibus plumas, auibus ſua gratia demta eſt,
Deme comam capiti, capiti ſua gratia demta eſt.
Ecce autem amiſſo vocalis munere Verbi
Scinditur incertum ſenſa in contraria vulgus:
Ceu quondam comites, lucis quibus vſus ademtus,
In præceps calle ambiguo ſimul error adegit
Lubricus: haud aliter ratio ſine lumine Verbi
Labitur in vitium, nec quid fugiatúe, petatúe
Voce rata ſtatuit, nec mentis læſa facultas
Audet in ambigua diſcrimen ponere cauſa.
Iamq́; Dei nati priuatur lumine corpus,
Nec ſatis hoc, ferri ſed retia dura tenacis
Crura premunt, iam nulla videt diſcrimina falſi,
Auris, & ipſa fides ſcelerato pendet ab ore.
Quin vſq́; extremas vitæ pulſatus ad oras

Verberibus,

Verberibus, vitam piſtrini ducere in antris,
Ac operas haurire, & ſpicas frangere ſaxo
Cogitur, & ſignum collo geſtare laboris.
Nimirum extrema mundi ſub parte furentis
Iſaides vates nobis ea vincla canebat,
Multa gemens, ignominiam, puteiq́, tenebras
Obſcuri, tum quos amiſit inultus honores,
Præq́, angore animi lucis quòd perdidit vſum,
Et cùm fortuna dederint quòd terga propinqui.
Hei malè tum Chriſti de corpore forma relicta eſt,
Si cum cæſarie geminum quoq́, lumen ademtum eſt:
Tum virtus fugit, atq́, in ventos gratia cedit,
Et totum horrenda premitur caligine corpus.
Sic vbi verſatur vinclis, & carcere Chriſtus:
Non quenquam è numero comitum fortuna reliquit.
Sola latus cinxit teneræ propago iuuentæ
Rore pio luſtrata, Fidemq́, impunè profeſſa eſt.
Omnis in hac vna palmæ ſpes fixa reſedit,
Seu nos Roma iugo premeret, ſeu carcere Turca.
Nam ſæpè inſonti gemitum de corde profundens
Vota gregi iunxit Chriſti qui nomine gaudet.
Idcircò genitor longo iam tempore, longo
Cæleſtûm numeros gregibus lactentibus auxit,
Et Fidei ſocijs cœli ſimul annuit arcem.
Vſq́, adeò ſacri generis venerabile germen
Ceperat aſsiduo iuſta incrementa virore,
Et truncæ ab radice comæ ſub vertice Chriſti

Cepére amiſſos meditari rurſus honores.
Nam malè cum ſocijs Huſsides preſſus ab hoſte,
(Piſtrini ceu traxit opus verſatile Simſon
Affectus grauibus ſub gente Philiſtide vinclis,)
Exeruit dotes animi, vireſq́ receptas
Extulit in lucem ſcriptis, ſenſimq́ redemta eſt
Libertas, quæ ſera tamen reſpexit inermes,
Reſpexit tamen, & poſt triſtia vincula venit.
Tandem poſt tenebras, & longa ſilentia Verbi
Aſſeruêre ſuum Chriſto decus, vltimus æui
Helias, ſtudioq́ pari coniunctus Eliſa,
Albis Saxonicas vbi curſibus alluit vrbes.
His amor vnus erat, paritérq́ ad ſacra vocati
Munera, communi iuuenes ſtatione docebant.
INTERea veniunt ſacrum ad ſolenne Dagonis,
Conciliumq́ duces auguſta ad limina cogunt,
Et miſer, & ſpretus patitur faſtidia Chriſtus,
Qui geminas inter duro ex adamante columnas
Cum comite impubi Getico compreſſus ab hoſte eſt,
Inſultuſq́ pedum Romano à præſule ſentit.
Nempe ſub his regnis Chriſto gens ſacra duobus
Comprimitur, geminis tanq̃ interiecta columnis.
Sed rediјt victis ea demum in corda voluptas,
Quòd coma prolixos iterum de vertice villos
Exeruit, flauoq́ caput velatur honore,
Dum Fidei radius detecta fraude refulget,
Et diros cultus, temerataq́ ſacra deorum

Arguit

Arguit inuictus ſcriptis, & voce Luterus.
Ergo ſub extremo ſpacio, & ſub fine laborum
Ingemuit Chriſtus, dixitq; nouiſsima verba.
Credula nam cælum ſingultu corda fatigant,
Et geminas certant ſtatuas euertere votis
Quéis penitus ſæui Serpentis regna recumbunt.
Arma pijs Verbum, lacrymæq;, preceſq; ſuperſunt,
In rerum dominos non eſt contendere tutum.
Scilicet is Chriſto labor eſt; nam ſpiritus oris
Impellit, validaq; trabes vi corripit ambas:
Emoti fundo lapides, & cardine poſtes
Excuſsi, gemitum deuexa mole dederunt,
Exitioq; ſibi domus imminet alta, viriſq;.
Cultus enim Myſtæ libantis, & innuba vita,
(Gratia dijs,) certa fallax ratione reperta eſt,
Quæ duo, ſi neſcis Latij ſunt fulcra Baälis.
Nec tamen abſtinuit vociue, operiue pepercit,
Sed parat extremum Chriſtus tentare laborem,
Et crebro trabium quaſſat latus impete, dum iam
Saxa labant, fundoq; trahunt conuulſa ruinam.
Sed licet & mundi quondam iactura ruentis
Membra premet Chriſti, communi obnoxia fato:
Hæc tamen ad lucem momento verſa ſub vno,
Aërijſq; inuecta plagis, inimica viciſsim
Signa, pari imperio ſubigent cum principe Chriſto.
Chriſte veni, iam tempus adeſt; te mæſta tuorum
Vota vocant, ne necte moram, mora triſtis amanti;

CARMEN

Sat veniæ indultum ſpirantibus arma Tyrannis,
Qui tibi, quiq́; tuis gaudent illudere regnis:
Si qua tuæ nunc gentis habet te cura, venito.

INVICTISSIMO, ET POTENTISSIMO ROMANORVM IMPERATORI, diuo Ferdinando, ſemper Auguſto, Bohemiam nuper ingreſſo:

CARMEN GRATVLATORIVM ſcholæ Ioachimicæ.

DVm parat ingreſſus ad regia limina Pragæ
Cæſar ouans, Aquilisq́; refert inſigne duabus,
Quas quondã Arminius victricibus abſtulit armis:
Fernando rerum domino gratatur honorem
Grata nouum, quæ per valles educta Sudetum
Relligione Dei caſtos ſchola format alumnos.
Hic olim in ſyluis inter deſerta ferarum
Luſtra trahens vitam, paſtum Cunradus agebat
Armenta, & culmis conſertum tegmen habebat
Per loca vaſta ſitu, non dentes vomeris vnci,
Nec cultus experta hominum: nec preſſa viarum
Indicia huc quenquam directo callo ferebant.
Tum vacuum nemoris tractum, vaſtosq́; receſſus

Auſtrali

Auſtrali obuerſos lateri, gens accola flaui
Albidos ad fontes germana voce Sudetes
Dixit, & ex illo ſeruarunt tempore nomen.
Nunc Vallis læta, & Romæ ſe montibus effert,
Quà pater, & proles, & viuida flamma duorum
Ex maſſa melioris humi, cum ſulſure viuo,
Nec non Mercurij vena ſpirante venenum
Vi dicente creant argenti, ærisq́; metalla
Multa modis multis, Aquilisq́; notata duabus.

Ergò etiam teſtata ſuum tibi maxime Cæſar
Officium, pro parte ſua ſcola debita Vallis
Tendit in occurſus, & dona, inſignia dona
Arboris vmbriferæ, quæ ſæcula nulla tulerunt
Maiorem, quæ tot durando ſecula vicit,
Mittit, in augurium felix, ac omina regni.
Ipſa augusta, ingens, veneranda, inſignis, opaca,
Sacra comam, curaq́; Dei ſeruata per æuum,
Pulcra modis miris, cœli quæ tendit in auras
Fatales apices, terraq́; immobilis hæret,
Quàm Daniel ſacro deſcripſit carmine vates
Cuius ab attactu rabidi abſtinuêr leeones.

Dona ferant alij facti, infectiq́; metalli,
Et puri maſſas æris, Phœbiq́; coruſcis
Peruia luminibus ramoſa, rubentia fruſta,
Ceu quondam rubri per terga nitentia vitri
Manè inſerta dies radios tranſmittit apertos.

Adde his naturæ varios in imagine luſus,
Artificumq́ imitata manus tot corpora rerum,
Et partem arboreo de ſtipite, quem ſimul olim
Fatali euulſum pluuia, cœliq́ ruina,
Proruit agger humi, & ſtygias detruſit ad vmbras,
Nunc terræ anfractu mutatum ſemine ſaxi
Recludunt, tacito foſſores omine læti.
Sed nos concipimus pro ſaluo Cæſare vota,
Atq́ in honore nouo deſcribimus arboris omen,
Ingentes cuius ramos, & brachia latè
In ſomnis multo ſuſpenſus numine vidit
Aſſyrius rector: nec enim ſine pondere regum
Verba cadunt, & habent aliquid ſua ſomnia fati.
Sed tum ſollicitus monſtris, oracula rector
Fatidici Danielis adit, qui ſenſa reſignet
Arboris, irriguam mundo quæ ſufficit vmbram.
Illam arbor vitæ Chriſtus, qua viuidus humor
Profluit arentes in ramos arboris huius,
Conſertam defixit humo, dehinc robore Verbi
Fulciri immotam dedit, & contemnere ventos.
Nam poſt proluuiem fatis cùm perdita tellus
Viſa aperire nouam faciem, ſedesq́ relictæ
Torperent, ſegnesq́ ſitu per inane iacerent:
Tum λόγος æternus, vitæ durabilis arbor
Dulce rudimentum diuino ex ore ſacerdos
Reſtituit, ſanctumq́ gregem ſua iura profeſſum
Fundamenti inſtar Verbi ſub rupe locauit,

Quod

Quod non tartareæ potuêre euellere portæ
Hactenus, & fundo excuſſum è ſtatione mouere.
Mox gentem indomitam, & nulla ſe lege tenentem,
Compoſuit, legesq́; dedit, ſparſosq́; penates
Inter ſe ſociæ iunxit compagine vitæ,
Dent operam ne pacis honos, labefactaúe cedat
Iuſticiæ cenſura loco. Sed vt inde iuuentus
Congreſſu in medio de relligione doceri
Poſsit, & incultum vulgus ſine crimine vitam
Degat honeſtatis plenam, fideiq́; tenacem,
Et contra horrificas ſoluat gens noxia pœnas:
Tum pater omnipotens, rerum à quo ſumma poteſtas,
Conſtituit ſellam, ac hominem diui inſtar habentem
Impoſuit, ſceptrumq́; dedit, quo fœdere certo
Et tegere, atq; alios ſciret demittere letho
Qui pacis leges, aut vitæ fœdera turbant
Alterius thalamos auſi inceſtare iugales.
Ante Noam, nulli geſtabant frena regentes,
Nec ſceptra accipere, & primos attollere faſces
Mos erat: in domibus ponebant iura parentes,
Et ſumma imperij pendebat ab auſpice Noha.
At de ſtirpe Chami, ſedem in Babylone tenentis,
Producta imperij creuit prima arbor in auras
Culta Dei palmis, & opacum fronde cacumen
Nubibus æquauit, ramosq́; extendit in Orbem.
Nam Deus excitum Nimrotha in regna vocauit,
Iuſticiaq́; dedit gentes frenare ſuperbas,

Atq; viri ſtimulos acres ſub pectore vertens
Numine ſufflauit rapido, & vim ſubdidit iræ,
Quò latè fines Orbis, populosq; feroces
Cogeret in numerum, & victor ditione teneret.
Nec dextræ audenti Deus abfuit; ille latrones
Suſtulit, & fato crudeli miſit ad Orcum,
Dum partes venantis agit, qui fixa ferarum
Signa pedum, clamore premit: ſi quando patentes
Tranſmittunt curſu campos, ille impiger arcum
Corripuit, raptoq; volat telo obuius illis,
Nec prius amittit, quàm ingentia terga ferarum
Fundat agens telis: haud illo ſegnior ibat
Magnanimus Nimroth, celſi quem rector Olympi
Lumine proſequitur placido, & comitatur euntem.
Hic ducibus dat regna, duces ſimul inſtruit armis
Stans acie in media; penes hunc victoria belli
Vertitur; hic populos vinclis, & carcere frenat
Indomitos, & colla iugis ſubmittere cogit.
Aurea per terras illo ſub rege fuerunt
Secula, cùm ramis arbor tulit aurea mala,
Iuſticiam, cultumq; Dei, ſanctumq; pudorem,
Et ſine fraude fidem, et pacem rerum omnium alum-
Quæq; micat virtus ipſo precioſior auro. (nam,
At cùm poſteritas feruens, aduerſa ferebat
Corda Deo, natoq; Dei, viresq; potentes
Audebat contrà regem coniungere regum:
Tùm lapſis effœta comis exaruit arbor

Aſſyriæ

Aſſyriæ quæ ſtabat humo, & Babylonide terra,
Marte, viriſq́ potens olim. Sed ſceptra Deûm rex
Sortitur, voluitq́ vices: nam ſtirpibus imis
Virga loco ſubiens noua ſe commiſit in auras
Medorum in campis, & diuite Perſidis ora,
Exeruitq́ comas iterum, & ſe ſuſtulit arbos;
Et fortes rami, Cyrus, Medusq́ Darius
Præbebant victum populis, & commoda pacis.
Hîc riguam captans ſub ramis arboris vmbram
Feſſa malis habuit tutas Eccleſia ſedes.
Tempore tunc illo ſeclorum argenteus ordo
Auro deterior mundo veſtigia fecit.
Et tunc pectoribus candor, nec corde latentem
Nutribant fraudem, & ſimulabant fronte fauorem.
Sed (veluti nihil eſt vnquàm durabile terris,
Et rarò ſequitur patrum veſtigia proles:)
Cùm fera tempeſtas incumbens Perſidos oræ
Arboris anguſtæ frondes concuſſit, & omne
Impulit in latus, & venti cum turbine magno
Certabant ab humo fixos conuellere ſtirpes:
Ipſe etiam Xerxes cùm bella iniuſta mouebat,
Es faſtu Argolicam ramos extendere in oram
Tentabat: tum ſicca comas deiecit, & almum
Perdidit humorem regni venerabilis arbor;
Et nihil eſt quod non fatorum lege tenetur.
At nouus è ſuccis radicibus iuit in auras
Surculus, ingentemq́ ferens è ceſpite ſyluam

Biſſenis

Biſſenis latè caput extulit arbor ariſtis
Magnus Alexander, genus alta è ſtirpe Philippi,
Qui regnum Oceano, famam coniunxit Olympo.
Hunc fore qui grauidam imperijs, belloq; ſuperbam
Auroram, & Scythiæ ſub leges mitteret orbem,
Fatidici monuêre viri ſub nomine Capri
Qui cornu petit, & curſu qui flamina vincit.
Huius ab imperio, magna quod ſtabat opum vi,
Tertia gens hominum ſurrexit ahenea mundo,
Sanguineaq; manu crepitantia miſcuit arma.
Mox vbi ſuccreſcens viridi de corpore matris
Pullulat ab radice frutex, & quatuor altè
Tollebant animos virgulta, locoq; ſubibant:
Frondea tum ſubito decumbunt germina letho,
Nec teneri in vacuum poſſunt ſe extendere rami,
Sed ſuccum alterius pro ſe trahit altera planta,
Creſcentiq; adimit fœtus, vtriq; ferentem:
Nam vires adimit magnis diſcordia rebus.
Donec ad extremùm mediæ radicis ab aluo
Quæ ſuccum trahit, & veluti cor arboris ipſam
Suſtinet, & laticem fibras deducit in omnes,
Surculus ingenti ſylua ſe lætus ad auras
Exeruit, laxis per purum emiſſus habenis,
Vnde Orbis domitrix Romana potentia vires
Extulit, Auguſti augurio ſtabilita ſecundo.
Vt primùm truncos hæc ſenſit planta valentes
Fiſa opibus, ſtans mole ſua: tum quatuor iſtis

Humorem

Humorem ex plantis, & vires ſuſtulit omnes,
Et mox ad cælum ramis fælicibus arbor
Exijt, & recto ſuperauit vertice nubes.
Vltima regnorum ſeries ſata ſemine ferri
Ceperat auſpicium, qua nuſquàm durior vlla
Firmauit ſua regna, & vicit cætera ferro.
Planta ſed hæc ramis ſurgens è Tybridis ora,
Ad Lunæ montes, pinguemq́, Eufratis ad vndam,
Et vada Danubij, flauentesq́, Albidos oras
Protulit imperij metas: dum ſceptra tenebat,
Et res Romanas Auguſtus Cæſar habebat.
Fronde ſub hac, (cuius ſacro de germine Vates
Soluebant linguam fatis, quòd maxima rerum
Ante æui finem regnum ſine fine tenebit,)
Ingreſſum fecit pulcra experientia iuris,
Et ſatus ipſe Deo, vitæ venerabilis arbor,
Stirpis Ieſſeæ ſiccis radicibus olim
Surculus emicuit ſub valle Naſaridos oræ,
Cui plantas perhibent nomen poſuiſſe feraces.
Auſus quin etiam Chriſtus ſuper arbore pulcra
Romani imperij, ſacros inflectere vultus.
Nam dum illi cenſum ſoluebat in Ephratis ora
Virgo parens: vrbis conſortia iura recepit
Filius, à Copher nomen cui ducitur vrbi.
Hîc factus membrum Romani nobile regni
Exercebat opus falſo ſub patre Ioſepho.
Idem etiam nummum, Petrus quem piſcis in ore

Repperit, exemplo voluit credentibus eſſe,
Quisq; ſui pro ſorte loci quò iuſta tributa,
Auxilium regni, perſoluat, & arboris huius.
Mox plantam vitæ Chriſtum, cùm ſæuus Apella
Proſequitur crudeli odio, ferroq; cacumen
Obtruncans, framea diffindit nobile lignum,
Inſuper & ferro conatur vellere ramos
Arboris imperij, cùm ſeditione nefanda
Opponit ſeſe miſsis de gente Latina:
Hunc contrà ingreditur Chriſtus, violentaq; corda
Diuinis implet monitis; ſe cœlitus Orbi
Haud ideò miſſum terrena vt regna capeſſat,
Aut ducis Herodis, Tyberini aut præſidis oras.
Ergo, ait, ô cenſum Tyberina ad flumina plantæ
Soluite Iudæi, & placidas ſubmittitite mentes,
Et libate preces, regnoq; orate ſalutem,
Iaphetiq; togam fœdis prætendite næuis,
Qua quondam errores velauit Eliſa magiſtri.
Inde ſub hac letho datus Arbore victima Chriſtus
Ingreſſum ſceptri fecit, regniq; potentis
Spiritus in Verbo cuius moderatur habenas.
Ille & Romulea congeſsit ab Arbore grana
Seminis ætherij, terras quæ miſit in omnes.
Materiem meſsis qua compleat horrea cæli.
Salue Arbor conſerta Deo, tibi Filius ipſe
Curuauit genua, & vultus ſubmiſit honeſtos,
Ad cælum cuius laudes ſublimè tulerunt

Bis ſex legati cæleſtia iura ferentes.
Nam poſtquam Synagoga furens in robora vitæ
Compoſitò inſurgit plagis, atq; ictibus inſtat:
Et mox alterius lentum conuellere vimen
Conata, inſignes Romana ex arbore plantas,
Truncatim ferit, & manibus decerpit aduncis:
Tum Pater omnipotens vſus vi ſtipitis huius
Sternere cæde viros, Solymamq; excindere gentem
Marte ſinit, longaq; vrbem obſidione teneri,
Atq; omnes vicos flamma crepitante cremari.
Quippe animo vidit Bileam longè antè, remotis
Finibus Europæ vectos mare findere claſſes
Remigio, & curſum Iudæas vertere ad oras:
Romanasq; Aquilas prædæ per inane ſagaces
Conſpexit Moſes corpus librare per auras.
Sed quamuis arbuſta aliquot Romana, premebant
Vitalem plantam, & plantæ conſortia teſqua,
Atq; ideò viridi decuſſa è ſtirpe cadebant,
Vt Nebucad Nezar nodoſum, & inutile lignum:
Non tamen arbuſtis caruit felicibus arbor,
Sed ſubiére loco fœcundo è ſtipite frondes,
Et vires habuêre ſuas, victumq; beatum
Suffecêre pijs, & in æſtu dulce leuamen.
Verba Dei amplexi cupidè, Verbiq; miniſtros.
Cæſareæ de gente domus Narciſſus, & ipſi
Coniunctos ſub ſorte pari quos aula fouebat,
Deuinctum officijs Paulum reuerenter habebant

Tharſiaca de gente ſatum, miſſumq́; supernè
Rex ſuperûm voluit quem Vatem gentibus eſſe.
Plinius eloquio Traiani ad Cæſaris aures
Soluebat linguam Chriſti pro paupere cœtu.
Dum Conſtantinus tandem, Cæſarq́; Philippus
Præſtabant Chriſto verum pietatis honorem.
Nam poſtquam radix ſpacio diducta locorum
Extendit fibras noto de Tybridis alueo
Argoliam: geminas in partes ſtipite ab vno
Arbor ijt; Tyberina alter penes oſtia manſit
Inſigni cum flore frutex; ſed ſtirpibus imis
Conſtantine tuam ſe protulit alter ad vrbem.
Verùm vbi deiecit virides exhauſtus honores
Heſperiæ de parte frutex: & viuida radix
Fibrarum flexus ad Francica rura tetendit:
Surgit ibi lætas radice emiſſus in auras
Surculus, inſignes cœlo quem tollere frondes
Imperijs egêre ſuis pia numina diuûm.
Dat vires, adimitq́; Deus, regniq́; coronam
Diuidit, & transfert; alios ad ſydera tollit,
Illos mergit humi deiectos culmine regni.
Ecce autem antiquis orta è radicibus arbor,
Acquirit vires, & læta, & firma cacumen
Exerit, & latum in ſpacium ſua brachia fundens
Fronde pijs vmbras, & victum è germine præbet,
Atq́; bonas artes Germanas ſpergit in oras,
Et contra inſultus ventorum immobilis hæret.

Tempore

Tempore nec longo radix in Saxonis ora,
Viciniſq; plagis trudebat conſita frondes.
Stat ſua cuiq; dies regno, dimenſaq; meta,
Quam proferre vetant vltrà cæleſtia fata.
Nec verò plantis omnis viret omnibus hortus;
Sæpè caper morſu tetigit, liquitq; venenum
Dentis, & adflatu infecit virgulta nocenti:
Sæpè lues cariem induxit, ramoſq; peredit,
Et liquor arbuſtis, & vis ſubducitur herbis.
Tandem Vindelicis translata in montibus arbor,
Alſatiæq; iugis, Habsburgæ ad ſtemmata gentis
Contulit imperium, regniq; adiunxit habenas.
Ipſa ſed Auſtriadum ad terram, ſaltusq; Bohemos
Extendit ramos, & ibi iam tempore longo
Multa hominum voluens durando ſæcula vicit,
Et genus acre virûm, pulcros velut arbore fructus
Extulit; Albertos geminos, primumq; Rudolphum,
Et qui cum pulcro Friderico tertius hæres
Nominis eiuſdem, de germine venit eodem.
Maximus hinc oriens genus Æmilianus habebat,
Inſignem virtute ducem quem protulit arbor.
Dum Carolus noſtrum fato dilatus in æuum
Arboris inſtar habens magnæ, complexibus ambit
Terramq;, tractusq; maris, lapſasq; recepit
Marte facultates quas primùm illa arbor habebat
Dum fortuna fuit læta, & ſucceſſus honorum.
Verùm hæc è terris cælo caput extulit arbor
Marte,

Marte, togaq́; potens, qua non præſtantior vlla
Pace fouere viros, & vim depellere ferro,
Tot ſpolijs grauida, & belli virtute ſuperba.
Hanc æui ſub fine Deus per Teutonis oram
Omnibus ornatam voluit præcellere donis,
Dum linguæ ſtudia è tenebris produxit in auras,
Atq; rudimentum Fidei è caligine denſa
Extulit in lucem, cultusq́; reuellit inanes.
Huic RVTÆ germen, verno quod ſemper honore
Emicat, & viridi fruticem velatur amictu,
Submiſit pronos vicino in limite flores,
Exeruitq́; comam ſub ramis arboris huius.
Ergò etiam æternos ſeruabit Ruta virores,
Arboris auguſtæ dum ſtirpem amplexa fouebit.
Poſtquam autem iam victa æuo, et defeſſa ferendo
Non valet exhauſtos Arbor reuocare vigores:
Tum Deus, ingenuaq́; potens Germania ſtirpe
Defectu humoris tabentem, & penè notantem
Fatalem è fundo caſum: tellure refecit
Fœcunda, & pingui radices obruit aruo.
Nanq́; illam Auſtriaci translatam in iugera fundi
Septem delecti proceres, queîs cura vacanti
Præficere imperio qui iura det omnibus vnus,
Sublimi poſuêre loco, regniq́; coronam
Induxêre comis, & rerum frena dederunt;
Quanuis flexibiles hederæ circum arboris oram
Nexibus implicuêre comas, & miſcuit herbas

Tactibus

Tactibus inuiſas vrticæ ignobile gramen.
Ingredere ô Fernande lubens, ô cuius & annis,
Et generi indulget fatum, & ſententia concors
Imperio poſcit ſtabili cum numine diuûm;
Nulli fas Italo Germanam ſubdere gentem.
Salue arbor frondoſa, tuos vitæ arbor honores
Æternùm tegat, & ſtabilem venerata vigorem
Annuat, augurio Daniel ſi vera canebat.
Stabit enim, trudetq́; comas, & brachia tendet
Ad finem victura arbor, cùm nubis opacæ
Terga premet Chriſtus, fundoq́; metallica membra
Fatalis ſtatuæ vertet, plantasq́; rigentes
Pulueris in faciem rediget, vibransq́; tridentem
Imperijs dabit ipſe modum: tunc nulla poteſtas
Excipiet gentes, aut frenis colla tenebit,
Aurea ſed paßim verſa vice ſecula current,
Qualia ſub læto Paradiſi viximus horto.
Optime rex regum cuius ſub numine dextro
Ante alias volucres poſita eſt regina volucrum:
O cuius conſerta manu, imperijsq́; benignis
Auſtriaco digeſta ſolo ſtat nobilis arbor:
Deformes prohibe hinc fatali ex arbore peſtes,
Et rabidos auerte lupos, ne deniq́; dura
Imperia exercens vaſtator acynace Turca
Sternat humi incuſſam, aut alius radicitus illam
Obnixè euulſam vertat, cuneisq́; coactis
Findat, ab inflicta ſpirans immane ſecuri.

Ah modò ne ſteriles ficus quas Vmbria profert,
Vmbriaq; ipſa mihi ne ſubtrahat arboris vmbram.
Nos illam amplexi genua hæc ſubmittimus ipſi,
Hanc colimus, promtiq; ſua nos lege tenemus.
Nam mihi ſi centum linguæ ſint, oraq; centum,
Non poſſem numeros meritorum æquare canendo,
Hîc quibus affecti iucunda pace potimur.
Sed quoniam lætas arbor prouenit ad auras
Iuſſa virere ſolo, & fortes protendere ramos,
Vt ſub ea pecudes vmbras, & frigora captent,
Et mundis auibus ſedem virgulta miniſtrent:
Te votis petimus bifrons regina volucrum,
Formicis faueas, quarum labor improbus antris
Fert micas æris fului, argentiq; metalla.
Hæ, curſu non ſaxa cauant ingentia tantum,
Sed totos fodiunt terræ ſub viſcere montes,
Et diuerſa ferunt ſpecie variante metalla,
Delitias regum, quales tribus Aſer habebat
Quando Sareptanæ gignebant æra fodinæ.
Ergò & cultores æris, venæq; peritos
Quos Salomon caos habuit: rexq; ille Philippus
In precio poſuit: quorumq; ornata metallis
Antra iugis Ophyræ (quam nunc vocat incola Peru)
Impenſis coluit tuus ille auus optime Cæſar,
Tutelæ commendo tuæ; tu fortibus alis
Obtege, prædantum ne gens infida volucrum
Res rapere, & duro partas diſcrimine micas

Per terræ anfractus, prædando auertere tentet,
Aut trahere, atq; moram iuſtis queat addere ceptis.
Exin conſcriptos patres, fidumq́; ſenatum
Conſilij autorem, & recti, iuſtiq; tenacem
Occulta ſub voce gruum, comittimus alis
Alituum regina tuis, nam lege magiſtra
Hi genus incultum, ac diſperſum montibus altis
Inſtituunt, curamq́; gerunt vt moribus aptis
Diſciplina regat patulam cum ciuibus vrbem,
Cuſtodes rerum, dum per caua viſcera terræ
Formicæ indulgent noctuq;, dieq; labori.
Hæc quoq; cura gruum eſt, vt cum pietate iuuentus
Linguarum in ſtudijs caſtæ terat ocia vitæ:
Qualis apes in vere nouo per florida rura
Exercet ſub Sole labor, cùm roſcida lambunt
Seu thyma, ſeu flauo diſtendunt nectare cellas.
Hoc examen apum niuei quod in ore leonis
Mella pio gaudet ſemper ſtipare ſuſurro,
Ac habiles fœtus ſubeunda ad munia rerum
Educat alueolis: placido tutare fauore,
Stridula ne caſtis ſubeant aluearibus Oeſtra,
Aut mellis ſtudium rumpat deformis aſylus.
Nanq; vt apes, cœli regem pauêre, ſub antro
Dictæo, regemq; ſuum venerantur, & omnes
Ex illo pendent annixæ, & iuſſa ſequuntur:
Sic vbi iam matura illis acceſſerit ætas,

Fida miniſteria, ac addictos mille labores
Proſtituent Fernande tibi, ſtirpiq́ futuræ
Quæ genus Auſtriaco ductum de ſanguine habebit.
Quod ſupereſt; Aquilæ imbelles ſine felle colũbas
Commendare iuuat, velit harum inuiſere curam,
Quæ pacis ramos docili ſub gutture portant,
Et famam de pace ferunt, quam Virgine natus
Sanguine firmauit iungens hominemq́, Deumq́.
Ipſæ inſtant monitis, vt vulgus honore ſequatur
Iura, magiſtratusq́ colat, ſanctumq́ ſenatum.
O auium regina biceps, tu ſancta columbis
Suffice tutelam, volucresq́ auerte rapaces,
Immemores ſobolis coruos, matremq́ necantem
Ingratum cuculum, paruosq́ in viſcera fratres
Mergentem, & proprios quæ polluit Vpupa nidos:
Sic laudes, & regna Aquilæ ſine fine manebunt.
Quin etiam pulcra reſidens ſuper arbore regni
Arguto Philomela ſono ſua guttura ſoluet,
Et ſecum exutam Caßitam caßide belli
Inſtruet in laudes heroum, & facta deorum.
His addet ſocium liquido ſe carmine Cygnus,
Candenti penna qui lucem his montibus hauſit
Colla tua lauro, nec non Saxonide ruta
Vincta gerens, Muſæ donatum inſigne ſonanti.
Hinc alij Vates quibus hæc ſcola gaudet alumnis,
Nomen habens corui Vatem qui pauit Heliam,
Et ramoſa gerens viuacis cornua cerui,

Quorum

Quorum Penæa donaſti tempora lauro.
Sic artes extundit honos, ornataq; virtus
Creſcit, & ad ſimiles artes vocat ora tuentum:
Semper enim laudesq; tuæ, nomenq; virebunt,
Si mundarum auium recta celebrabere voce.

Hæc in honore tuo cecinit ſcola ſubdita Vallis
Ferdinande pater patriæ, cui tradita nuper
Romani imperij cecidit cuſtodia ſorte.
Dij tibi ſint faciles igitur, regnoq; ſalutem
Sufficiant, viresq; addant ingentibus auſis:
Et gentem immanem, quæ te de culmine regni
Præcipitem aggeſta conatur vertere mole,
Fulminis afflatu tactam ſub tartara mergant:
Quale tibi augurium mittunt ſpectacula Pragæ,
Dum fictos letho ſternunt ficta arma Gigantes.

BELLVM SEMINIS, ET SERPENTIS.

SI quis opus magni miratus es hactenus Orbis,
Quod Verbo pater omnipotẽs, quo cuncta creauit,
Edidit, & certa res in ſtatione locauit:
Ire polum, ſed ſtare ſolum, quod ſpumeus ambit
Nereus, & terram longè ſupereminet ipſam:
Et pendere, nec in terram ruere impete nubes,
Quæ ſupra caput æthereis voluuntur in oris,

Et Solem facere, & rapere incrementa dierum,
Dum biſſena rotis luſtrat ſimulacra ferarum,
Humentemq́, globum Lunæ dare lumina nocti,
Et calido alternis vicibus ſuccedere fratri,
Quò calor, ac humor res procreet: hoc ſimul ipſe
Maius opus, maius rebus mirare creatis,
Quod patris æterni natus confecit, vbi ægros
victima mortales de morte redemit, & Orco:
Mirare, & Chriſto voti reus aſſere laudem.
Nam poſtquàm mundi propter commiſſa luebat
Supplicium, & mortem voluit pro lege paciſci:
Depoſitus ſaxo rediit ſub luminis oras
Aurora in roſeis fulſit dum tertia bigis,
Vnica qualis auis de puluere ſurgit in auras.
viderunt ſocij diuûm nota ora ferentem,
Et iuuenes corpus velati præpete penna
Panxerunt reduci præconia grata magiſtro,
Et genitrix nati celebrauit læta triumphum,
virgineum Semen ſpolijs Acherontis onuſtum
Veniſſe in lucem Serpente in vincla ſubacto.
Nam Deus vt manuum vidit monumenta ſuarũ
Vipereo (infandum) cecidiſſe euerſa veneno:
Serpenti indixit cum Semine bella gerenda,
Non bella exacto quæ Titan exigat anno,
Sed quibus imponat finem vix terminus æui,
Cum ſuaſore mali quando trudetur in ignes
Conſcia gens, ſonteſq́, exoluet corpore pœnas.

Nec fas ſponte ſua ſoluebant labis amore,
Corda tumens faſtu velut impius excidit anguis:
Sed mulier ſtygia deluſa cadebat ab arte.
Hanc magno ſuperûm cùm vidit amore teneri
Trux coluber, ſtimulos odij tum incuſſit, vt ipſam
Diuellens ab amore Dei cæleſtibus aruis
Eiectam excipiat tandem ſub flammea regna.
Tum vafer obiecit diuûm faſtidia noſtri,
Neu putet eſſe nefas fœtus ex arbore morſu
Frangere, quæ media eſt fælici interſita luco,
Nam regno inſidos cauiſſe, paremq́; timere,
Quandoquidē hic morſus ſimiles dijs redderet ipſis.
Continuò morſum mors eſt æterna ſecuta,
Non autore Deo in lucem producta, ſed atro
Semine ſerpentis culpa genitrice creata.
At ſerpens habuit Sardoo ſibila riſu
Illudens captis ſquamæ fulgore coruſcæ:
Cui Deus; exitio rides peruerſe reperto,
Nec venit in mentem quàm ſit tibi res malè geſta?
Quòd ſi tàm diras mulieri nectere fraudes
Non animo ſediſſet, & expers ipſe maneres
Excidij, & tecum forſan tua regna manerent.
Nunc ideò humanas ſemen mulieris in auras
Ibit, vt æterno victrix te proterat ictu:
Cuius ab oblato tranſuerſo in ſtirpe cruore
Flamma Dei primæ ſcelere irritata parentis
Victa cadet, dirumq́; nefas impunè lituram

Sentiet, atq; gulæ mors abſumetur hiatu.
Et tum iuſticiæ decus irreparabile lapſæ
Reſtituetur, & excuſſos in priſtina reddet
Mortales dux ille hominum, ſedemq; refiget
Cœlicolûm, atq; vltrò credentibus offeret aſtra.
In damno ſic fœnus erit, quia pulcrior hortus
Surget ei, quem morte ſtruet, quem ſanguine tinget,
Ipſe vbi vitalis ſua brachia proferat arbos.
Sic ait, ac hoſtis tentoria fixit vterq;,
Pellitur è medio pax mutua, vi geritur res,
Et ſibi mille armis, & mille receptibus anguis
Mille opifex artis proſpexit, fortè boues ceu
Siue agnum amiſit pauper cùm villicus, omne
Pertentat nemus, & veſtigia quærit, an illum
Aut herba captum viridi, aut armenta ſecutum
Luminibus prendat, ſimul omnem indagine ſaltum
Claudit, mille lupo raptori ſtuppea tendens
Vincula, mille tegens hoſtis quibus incidat vrnas.
Intereà Serpens trepidanti in corde putabat
Iam prope adeſſe diem pugnæ, qua maximus vltor
Manibus auxilio greſſus intendat ad Orcum,
Flammanteſq; Erebi tractus euertat: ibi omnes
In partes animum verſabat callidus anguis,
Si potis obniti, peſtemq; auertere regno:
Atq; ideò hæc illum necquicquam cura fatigat
Intentare necem, ſi tempora grata fauerent,
Demens qui contrà ſtimulum ſe obtendere calce

Non

Non animum induxit, nec quòd demiſſus Olympo
Propterea ad tempus, fieri quò victima poſſet,
Æqua patri ſoboles vires, numenq; coruſcum
Occuluit, mortem propria dum morte voraret.
Ergo dedit regni ſocijs tuba nuncia ſignum,
Conciliumq; vocat noctis pater, atq; Erebi rex.
Illi agmen celebrant, vt cuiq; eſt copia, promti
Seu verſare dolos, ſeu rem decernere ferro.
Circus erat quo ſe medium tulit arbiter Orci
Conſeſſu, & tumuli ſic fecit ab aggere verba.
O ſocij, res arcta iubet me rumpere vocem:
Venit ſumma dies Erebo, fuit Orcus, & ingens
Gloria Serpentis, promiſſum ſemen Abrahæ
Imminet exitio, quòd ſi non tela paramus,
Styx ruit, & mortem abſorbet victoria Chriſti,
Ipſe teror; Deus hoc, qui non facit irrita verba,
Omen in Eoa ſylua mihi triſte canebat.
Sed nec cauſa moram patitur, nunc pectore firmo,
Ac armis opus eſt, nunc veſtras promite vires
O paßi grauiora duces, quos fulmine mecum
Rex ſuperûm cœlo quondam deiecit ad vmbras.
Nec latet id quenquam quantis ſit ſemper vtrinq;
Decertatum odijs: idem bella, altera bella
Mollitur, nec erit modus vllus, donec Auerni
Sedibus eijciat nigrum genus, æraq; valuis
Excutiat, moueatq; loco cum cardine poſtes.
Nam Gaſæ rapiens Simſon de ſtipite valuas,

Atq; duces in humum ſternens cum turribus altis,
Triſte per augurium iam tunc mea pectora duxit,
Dum vereor regnis cladem portendere noſtris.
Id propter ſupera pater ipſum miſit ab arce,
Vt Serpentis opus magna conuellat opum vi,
Et faciet, niſi nos armis obtendimus olli.
Quid tremitis? nunc non primùm hūc exerceo Martē,
Quanuis me toties poſſent terrere repulſæ,
Arguit infractum quoties iactura meorum
Armorum, & quoties amiſi Martis honores:
Non tamen abſiſtam, donec victricibus armis
Incautum ſuperem, quando mortalia membra
Aſſumens loca ſola petit, loca conſita ſaxis,
Non almæ Cereris, loca non fœcunda liquoris.
Aut cùm ſe ſomno ſternet ſuper æquore vaſto
Cum ſocijs, tenuem fluctu iactante phaſelum
Intendam cladem, & pelagi dorſum omne ciebo.
Sed vos ſi melior ſedeat ſententia menti,
Pandite, ſiue dolos, ſeu vim tendamus inermi?
Dixit, & infernis Alecto exciuit ab antris,
Cui furor, inſidiæq́, & noxia crimina cordi,
Sed tunc Suadelæ in ſpeciem ſua tranſtulit ora,
Quam rex his acuit dictis: ſata nocte virago
Hunc mihi da proprium, ſiquidem potes ipſa, laborē,
Ne mea fama loco, nunc tot defenſa ruinis,
Concidat, & ne veſter honos rapiatur in auras,
Nam tua res agitur quando mea cauſſa laborat.

Gens

Gens inimica mihi ſuprà caput imminet, omni
Conatu incumbens, vt me, mea regna, meosq́;
Conſortes pedibus premat, & circundata vinclis
Vincla Erebi, & detracta mihi ſpolia inferat aſtris.
Sed tu diua potes rebus ſuccurrere fluxis,
Nomina mille tibi, formæ tibi mille nocendi,
Concute fœcundum pectus, fœdusq́; reſolue
Quod ſocij pepigére, & fidas diſtrahe mentes.
Tu potes & reſides accingi in tela lacertos,
Et verſare domos odijs, & verbera, & atram
Intrò ferre facem, & gemitu tectum omne ciere.
His vbi ſubdiderat ſtimulos; Dea promta venenis
Principiò Petrum, cui multa in pectore virtus
Surgebat, laudumq́; arrecta cupido trahebat,
Antè alios petit, & furijs accendere iniquis
Nititur in regem, ſi fraude euertere poſſet,
Vt famæ cupidus fas rumpat, & omne reſoluat
Ius fidei aſtrictum; quid enim tot viribus ipſe
Præditus, alterius ſub nutu tranſigat æuum?
At tantùm dictis mouit præcordia Petri,
Quàm ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia petra.
Quid? non illa hominis tanto cor molliat aſtu,
Si frangi hircino memorant adamanta cruore?
Sed certè mentem iuuenis vertiſſet in oras
Ambiguas, veluti per laxa foramina cribri
Triticeæ meſſis vibrantur grana, volantes
Sparguntur paleæ, fundo ſtat ſemen in imo:

Ni ſatus ipſe Deo ſerpente potentior atro
Sedula pro ſocij feciſſet vota ſalute.
Cùm ſecum Alecto flammato in corde volutat,
Méne adeò incepto victam deſiſtere, méne
Non poſſe à Chriſto ſociorum auertere quenquam?
Hactenus; & fuſcis dea callida tollitur alis,
Et Iudæ in vultus conuertit luminis orbem,
Plurimus infidum quem coxerat ardor habendi,
Solamenq́; mali de collo pera pependit.
Id meditans, nullo ſe lumine prenſa ſub ægrum
Cor Iudæ inſinuat, ſpargitq́; ſub oſſa furorem,
Et ſceleris precium ſiſtit, quò fallat amorem,
Spemq́; ducis; quoniam dictis experta videbat
Spe lucri Iudam non contrà ſtare furentem:
Quem nuſquam amittens iam corda inuerſa tenentem
Diua furens ſortem pepigit, quòd nocte ſilenti
Improuiſa phalanx cingat iuga Pallade fœta:
Aſt ille officium fallens iter hoſtibus æquum
Pandat, & obijciat regem venientibus vltrò
Obuius, & ſcelere hoc promiſſa ad præmia tendat.
Iam cùm viſa ſatis primos acuiſſe furores,
Atq; malum virus lapſum eſt in pectora Iudæ,
Virgo mouens alas nocti ſe immiſcuit atræ.
Iamq; è compoſito ductor fas rupit Iudas,
Rebus & eripuit nox omnibus atra colorem,
Atq; in procinctu diſpoſtis ritè maniplis
Stabant, & belli ductores prima tenebant

Cornua; poſt tergum ſquallentia monſtra ſequuntur,
Incurſumq́, parant Galilæo tendere regi:
Qui conuerſus ad hæc, verbo dare terga ſubegit,
Ac in humum fudit, veluti Iouis ignibus icta.
Ille dolos etenim (quis numina fallere poſſet.)
Perſenſit, motusq́, excepit mente latentes.
Ergo vt compoſitam ſerpentis falleret artem,
Omnipotens Verbum latuit ſub mente, nec vllas
Exeruit vires, vt inermis viſus, & expers
Roboris, allectum Serpentem impelleret vltrò
Moliri incurſus, quando iam tuta videret
Omnia, & audenti nihil impendere ruinæ.
Nam ſtirpem mortis dominam ſtirps debita morti
Occuluit, poſtquam pura de virgine fœtus
Chriſtus ijt, chorio ſimilis, quo cinctus in aluo
Delituit fragili velatus tegmine carnis.
Mox trabe tranſuerſa fixus, quò crimina mundi
Victima penſaret, verè ceu liuida tabo
Faſcia comparet maſſam lacerata cruentam.
Qualis & inſidias qui tendit piſcibus hamo
Alliciens vnco vermem ſuper induit æri,
Qua viſa, inuadunt prædam velut agmine facto
Squamea monſtra ſalis, rictuq́, imitante barathrum
Comprendunt, preſſo gaudentq́, abſumere morſu,
Actutùm & fixa occulto rapiuntur ab ære:
Sic ſatus ille Deo, per quem ſata machina mundi eſt,
Æthercam ſtirpem carnis velauit amictu,

Occulu:tq́

Occuluitq́; parùm vires, ſuaq́; abdidit arma,
Vt miſerà ſpecie pellectum falleret anguem.
Qui fidens animi, iam nil obſtare pericli
Audenti putat, & demto parat arma timore
Ore inhians, prædaq́; adhibet ſub fauce molares,
Et mors horribili laceratum vulnere ſorbet:
Ceu teritur vermis, niueas quæ ſanguine lanas
Inficit, & roſeos effundit fixa liquores.
Sed dum ponebant rumores antè ſalutem,
Et vix inflato capiebant corde ſuas ſpes,
Incluſumq́; cauo regem ſub pumicis antro
Seruabant, veluti Ionam fera ſquamea ponti
Sorbuit, & ſuperis reiectum reddidit auris:
Tum vindex ſtygias conceßit Semen ad oras
Solis inacceſſas radijs, vbi cæca ſilentes
Regna tenent vmbræ, viuis non peruia regna.
Illic ſtant ſolido vectes adamante parati,
Quos neq; Vulcani ſtridens euicerit ira,
Nec globus emiſſus ſimulante tonitrua canna.
Huc ſimul appulerat, Dominus, iam luce coruſca
Perfuſus, iam quod robur paulò abdidit antè
In lucem exeruit, bello inſuperabile robur:
Intremuêre cauæ, gemitumq́; dedêre latebræ.
Et poſtes ferro nexi, & compagibus arctis,
Conuulſi cecidêre ſolo, ſaltusq́; dedêre.
Fit fragor, irrũpit latebras, fugit improbus Anguis,
Degener ipſe ſuis cùm iam diffideret armis,

Cuius

Cuius anhela premens rapido veſtigia paſſu
Arreptum cauea traxit, pedibusq́; ſubegit,
Ceu grex alipedum ceruorum ducere flatu
Et latebris ſueuit ſerpentia ſecla ferarum.
Tum verò exoritur fremitus, ſtridorq́; colubri
Figentis plantas, & fata extrema minantis,
Quem pede proſubigens flammas ex ore vomentem
Sulphureas, & ſæua intus ſuper arma ſedentem,
Centum poſt tergum nodis ſtringebat ahenis,
Et malè multato ſpolium detraxit, & arma
Eripuit virtute prior, riuosq́; cruoris
Ore reiectantem fulua protendit arena:
Lucida terribili velut exuit arma Tyranno
Ieſsides funda, citharaq́; peritus eburna.
Ac vt Abram paruis inſtructus viribus hoſtes
Obruit, & fratrem ſocia cum gente reduxit:
Sic Erebo incluſos manes euexit ad auras,
Atq́; minas fati, ſtrepitusq́; Acherontis auaros
Vi potior pedibus ſubiecit, & horrida preſsit
Regna Erebi ditione ſua, captiuaq́; nexis
Torquibus incluſit Lethæi carceris antra.
Ille ſcelus mundi luſtratum ſanguine fuſo
Diluit, & flammas Erebi ſedauit, & iram
Extinxit patris, & legis maledicta ſeuera
Tranſtulit in ſeſe: quin & ſententia damnans
Quam lex inſcripſit, paſſa eſt in corde lituram.
Vos autem huc ægri mortales flectite vultus,

Cernite

Cernite vt infami pendet trabe litera legis
Conſcia depoſiti: transfixa, atq; irrita pendet.
Nam precium reprobus quod pendere debuit Orbis,
Integra iam Chriſti probitas, & pœna rependit.
Vos ergo hunc animis aſſenſum inducite veſtris,
Regnatorem Orbis, rerumq;, hominumq; potentem
Indignos magnum nati nos propter amorem
Suſcipere, & dignos regni cenſere superni.
Iuſsit amor noſtri Chriſtum parere paternis
Imperijs, alti deponere lucida cœli
Frena parum, fragilem de virgine ſumere maſſam,
Infernas penetrare domos, feruentia ſtagna
Cocyti ſuperare, pedes imponere diro
Serpenti, letum rictu demergere, opaci
Clauſtra Erebi ex imo ſubuertere diruta fundo.
Ergò altè inuectus curru, de more triumphi,
Victorem ingenti ſeſe clamore ferebat,
Hoſtesq;, & factas memorabat in ordine pugnas,
Vt primùm ipſe pater, quo non erat acrior alter,
Obtendens natum contrà res egit, & iræ
Ardentes radios in carum vertit alumnum.
Nam cùm noſtra lues regem commouit Olympi
Acri vindictæ percuſſum pectora thyrſo:
Exemplò prognata Deo Charis eijcit aſtris,
Prolis & affatu nos dedignatur amico,
Et lethi arbitrio cunctos ſupponit in annos.
Sed ſua dum Chriſtus labem ſub terga recepit,

Hic

Hic ſimal à nobis in ſe patris abſtulit iram,
Quapropter ſcelerum pœnas haurire neceſſe eſt:
Vt iuſtus Deus eſt, ita crimina punit, & odit.
Parte ſed aduerſa longam MORS concutit haſtam,
Qua parat æterni nos figere vulnere lethi.
Mors etenim dira peccati cuſpide vulnus
Conſerit, & prædis onerat deformibus Orcum.
Nam ſi mortales ſine crimine pectus haberent,
Mors quoq; inermis erit, nec quo nos figat habebit.
Vtq; nitens ferri corpus quod ceſſat ab aruis
Arripuit ſitus, & durum conſumſit acumen:
Non aliter ſcelerata lues ab origine prima
Diſperſa humanam in ſeriem, mortalia membra
Deuorat, & vitijs radicem ſufficit ipſis.
Ergo omnes valido mors ſternit acuminis ictu,
Et natos natorum, & qui numerantur ab illis.
Ipſa caſas æquo pede pulſat, & atria celſa,
Nec quenquam metuit, nec quis ſit quærere ſueuit,
Quàm diues venis argenti, & meſſis abundans:
Nec genus, & formam, nec mentis acumina curat,
Nunc hos, nunc illos lethali vulnere ad vmbras,
Pallentes vmbras mittit, noctemq; profundam.
LEX etiam nobis vires opponit, & inſtat
Cenſuræ monitis, fragili non cortice fagi,
Sed noſtris animis ſignis impreſſa ſeucris.
Hæc vltrà ſortem nunc hæc, nunc exigit illa
Fœnora, nec ſeruare modum, nec tempora nouit,

Nec

Nec vulgum famæ teſtem, nihil illa moratur
Externos habitus, ſed cordis ad intima tecta
Tranſit, & abſconſas ſedes ſine ſorde requirit.
Sed quia iuſticiæ nobis eſt curta ſupellex,
Nec ſatis externæ laudem probitatis habemus:
Neſcit homo, vt debet, dignum conferre tributum.
Idcircò exacuit penetrabile mortis acumen,
Per latus vt fixum deſcendat in ilia ferrum,
Ac animam obliquo diſſectam tranſeat ictu,
Atq; indignantem magno cum murmure cordis
Ad ſtyga deijciat iugi feruore cremandam,
Saulis in exemplum, cuius delicta ſub imo
Pectore lex aperit, ſtimuloq; exuſcitat acri,
Antè vbi ſecuram traxêre ſepulta quietem.
At tum vulnus habet venis, ſpeq; excidit omni,
Et lucem inuiſam telis abrumpit adactis
Cùm diræ vltrices pectus vibice flagellant.
Adde, quòd abſorbens mundum ſtyx vaſta barathro,
Et princeps Erebi dira cùm gente ſororum,
Quæq; tot aſſiduis caro nos ad prælia luctis
Concitat, atq; animam varijs inſultibus vrget,
Obtendunt nobis, atq; icto fœdere bellum
Suſcipiunt hominum contrà genus, & iuga collis
Inijciunt, & crura tenaci compede ſtringunt:
Vmbrarumq; pater mortalia ſecla ſub Orco
Æternis premit arbitrijs, & morte perenni.
Non tulit hoc Chriſtus ſponſam à ſerpente teneri

Incluſam vinclis magno quam diligit igne.
Sed ceu decretum cum Patre, & Flamine fecit,
Cùm nec adhuc fundo mundus ſtetit æditus vllo,
Concipit ingentes animis, & perficit auſus,
Hoſtibus occurſum molitur, & ardua figit
Caſtra ſolo, ferrumq́ tenet, pugnamq́ laceßit,
Haud alia ratione, niſi cùm noxius Adam
Mortis in arbitrium venit, ne intercidat omnis
Spes noſtri generis, tum decernente ſenatu
Tergemino, patris ante pedes ſe ſtrauit, & omnem
Filius in ſeſe iußit deponere culpam:
En adſum qui ſoluo, in me conuerte furorem,
Vnus ego reddam totus quod debuit Orbis,
Proq́ hominum fundam redimenda ſtirpe cruorem,
Quod precium ſuperet totius crimina mundi.
Dixit, & humanos artus aſſumſit, & inſons
Omne onus in ſeſe noſtra vice tranſtulit vltrò.
Nanq́ vt læſa modis reparetur gratia dignis,
Dignum erat vt ſtirpem geminam interuentor haberet,
Et quæ perſonam veniat conducta ſub vnam.
Humanam; vt pro ſorte hominum, qui triſte fuiſſent
Supplicium meriti, commiſſa errata rependat.
Exin ætherea Meßiham ſtirpe vigere
Par erat, vt precium fuſo quod ſanguine ſoluit
Vinceret omne nefas mundi, patriumq́ furorem,
Neúe graui forſan poſſet ſuccumbere mole
Dum ſcelus, & diras legis, rabiemq́ Parentis

Cogitur ingenti ſubmiſſus ferre labore,
Quale opus haud vllo valuiſſet condere niſu
Si modò mortali traxiſſet origine ſexum.
Non ille amiſſas in priſtina reddere gazas,
Nec capite attrito ſerpentis per loca Auerni
Ponere ſub pedibus lethum potuiſſet, & Orcum,
Quantum nemo hominum cretus de ſtirpe caduca,
Nec quiſquàm cœli ſubeat de gente laborem.
Ergò adit, et patrio vires cum numine primùm
Conſerit: in natum pater omnia crimina iecit,
Et rabidos iræ fluctus effudit, & illum
Deuotum diris faſtidia ferre coegit
Triſtia, cui patrios non multò detulit antè
Affectus, ſolum carum quem voce vocabat,
Solum fœlicem cœli quem in ſceptra reponat,
Cuius ſermones auidè gens hauriat omnis.
Nunc nati extorſit guttas è pelle cruentas
Ira Dei; ceu flore roſæ ſuper addita pruna
Elicet humorem, ſedat qui pectoris æſtum.
Penè etiam exhauſtis ad terram viribus æger
Corruit, affatu niſi cœlicus alleuet ales.
Iáſcio quid ſcelus eſt, quidq; in ſcelus ira Tonantis,
Ira vomens ignes, innoluenſq; omnia letho.
Aſt illam horribili ſpirantem murmure flammas
Compreſsit tandem, & longo in certamine vicit,
Dum morem gerit, & placido fert pectore mortem.
Nec mora, nec requies, alius ſubit hoſtis in arma,

Et

Et crudos aperit ſorbente voragine rictus,
Ore petens vitæ ductorem, munere cuius
Omne animans cœli iucunda veſcitur aura.
Sed non in cinerem liquefacta reſoluere membra,
Nec felicem animam potuit ſub nocte morari:
Nam vitæ dominus mortis truncauit acumen,
Demiſitq́; gulæ monſtrum, quod labra cruore
Sordida dimouit, morſuq́; intendit amaro.
Sed non ſorte data ſolum ſe lucis in auras
Mouit humo Chriſtus, ſolus quòd lumina Solis
Aſpiciat, ſolus ſine morte quod exigat æuum,
Vt mors atra ſuos, velut antè, exerceat ictus
Pulueris in fragilem maſſam, & nos deſtinet Orco:
Non ita, ſed nullos abſumere morſibus vltrà
Ius habet, & gelida quenquam compage tenere
Qui Chriſti impleuit partes aſſenſibus vnquam.
Nonne vides multos quòd ſecum è puluere terræ
Virgineum Semen lucis reuocauit ad oras.
Morte obita quorum ſeruabant viſcera tumbæ?
Cùm probitas Chriſti compleuerit integra legem,
Hauſerit & pœnas quas lex neglecta popoſcit,
Inq́; nefas iram patris placârit acerbam:
Mors etiam iacet ægra, nec vllas promere vires
Vlterius nouit, quando fiducia teli
In ventos abit, & viduam vix exhibet ornum.
Nec quenquam trepido demittere ſuſtinet Orco
Agminis è numero Chriſti quod ſigna ſecutum eſt.

Nec valet vlterius, nec tendere atrocius ictum,
Ni feriat telis obnoxia viſcera labi,
Et fœdum in cinerem ſoluat, mergatq́; ſepulcro,
Ex his vt pulcra naſcatur origine corpus
Labe carens, letiq́; expers quod ſurgat in auras
Luminis, æternæ carpenda ad gaudia vitæ.
Nam dum collatis obnoxi viribus ambo
Indulgent luctis, & humi deſtructa ruit mors:
Omnis ſub ventos abijt dilapſus amaror,
Et mors in ſomnum mutata repentè receßit.
At qui neglecto ruit in fera crimina Chriſto,
Nec melior monitis, culpæ ſuper addere culpam
Pergit, & horribilem diuûm in ſe prouocat iram:
Hic cadit æterno percuſſus vulnere lethi,
Et mors æterno conſpergit frigore membra.
Vix datus eſt pugnæ tenuis modus; illicò Chriſto
Inſurgit nouus hoſtis, & omni robore vires
Opponit, iuſtoq́; minax innititur enſi.
E collo tabulæ duro ex adamante paratæ
Pendent, atq́; ignem ſpirantia lætifer ora
Fumus obit, fulgurq́; ſonans terram igne coruſco
Permiſcet, nec quiſquam acies obtendere contrà
Suſtinet, atq́; illum quâ fert ſua planta tremit mons.
Nanq́; hominum vitæ cenſor, diuûmq́; voluntas
Cœlicolis fertur longè quem cernimus hoſtem.
Ille reos poſtquam neglecta lege peregit,
Atq́; è concilio ſuperûm reiecit ad Orcum

In lucem fuſi quotquot noſtrûm hauſimus auras:
Continuò Chriſtus, de quo ceu fonte perenni
Munere iuſticiæ ſiccus perfunditur Orbis,
Tranſtulit à nobis legis crudelia vota
Morte pians noſtros inſons velut agna reatus.
Ille notas legis noſtra in præcordia fixas
E medio tulit, & noſtra vice debita ſoluit,
Sanguineo & cæcas ſparſit cum rore lituras
Ora premens Legis cenſum ſine fine petentis,
Quando è ſeruitio legis iam colla tenemus
Libera, & exceptos miti nos gratia regno
Confouet, & diuûm dulces aſpirat amores.
Aſpice, tranſuerſis nunc pendet ſtipitibus lex,
Iamq; lues abluta, furor compreſſus, bianti
Mors abſumta gula, Serpens attritus, & vltrà
In iuſtos nil iuris habet, iam deſinit Orci
Omnis in humanam compreſſa licentia maſſam.
Quapropter Satanæ cùm verſa potẽtia fundo eſt:
Tum ſpolia, & nexus ferri è compage ſolutos
Victor ouans ſecum ſuperas auexit ad oras,
Ac lætam inſtituit proſtrato ex agmine pompam
Arduus, aligera circùm ſtipante caterua.
Principiò vehitur curru ſeruator amœno
Compoſitus ſede in media, ceu victor ouabat
Dux Ioſuas miſſis olim tot regibus Orco.
Antè rotas præco gratanti voce canorus
Terga premit velocis equi, & præſaga triumphi

Perſonat arguto ſpirans oracula cornu :-
Virgineum Semen colliſit calce Draconem,
Bella tenent finem, pacem nunc ducimus omnes.
Mox in proceſſu vinclis incluſa vehuntur
Agmina tartareæ ſtirpis, trux anguis, & hoſtis
Exanguis, crimenq́; gerens pro crine colubros,
Et Diræ, ſcelerum comites, tripliceſq́; ſorores
Lanea ducentes prægnanti ſtamina fuſo.
Illic haſta iacet mortis ſine acumine, & illic
Cum pharetra iacet arcus, & illic pallida rictus
Mors iacet, & celſæ pendens in robore palmæ
Lex tacet, & nullam poſcit cum fænore ſortem
Amplius, & nullum ſiſtit ſub iudicis ora.
Illic porta Erebi centum firmata columnis
Mota loco eſt, currumq́; premit non integra moles.
Et tunc gens hominum ſuſpenſo præuia greſſu
Soluebat faciles vocum ad diſcrimina linguas.
Flammea quin etiam reſponſant agmina cœli,
Et pinnis plauſum faciunt, dominumq́; ſalutant.
Quòd ſi conuerſo peccati è ſordibus vno
Ex hominum numero, gaudet chorus omnis Olympi:
Quantos lætitia plauſus fudiſſe putandum eſt
Æthereas acies, tota iam gente redemta?
Victor iò, cuius cecidit mors hauſta triumpho;
Mors, vbi nunc acies, vbi falx, vbi lethifer arcus?
Seps, vbi nunc vires, vbi vaſta licentia prædæ?
Deſijt, & prædam te fortior abſtulit alter.

Parte

Parte alia Vates munus præconis agentes,
Queis toga neglecto contingit ſyrmate talos
Antè ducem carpſêre viam, ingreſſuſq; dederunt.
Cùm primis Vates lateri comes additus hæſit
Qui de more tubæ reſonans deſerta per arua
Strauit ad inceſſum domini loca ſenta viarum,
Et vitam in melius conuertere labe relicta
Iuſsit, & adſenſu Chriſtum comprendere prono.
Ille ſuis vinclo ſeptus ſe vate relicto
Imperat ad Chriſtum greſſus aduertere alumnis,
Nec ſibi, ſed Chriſto ſponſam deduxit honeſtam.
Panditur intereà domus ampla nitentis Olympi,
Quâ deuectus ouans victor faſtigia cæli
Alta ſubit, regniq; pios in parte reponit,
Et dona in numerum ſpargens, cæleſtia dona,
Credula demiſit ſacrum in præcordia Flatum.
Vtq; alij Verbi munus vocale ſubirent,
Et vitæ præcepta darent, veræq; ſalutis:
Multa modis multis Vatum diſcrimina præbet.
Illc vocat gentes menſæ ad cæleſtis honorem
Proponens epulas, corpuſq;, ſuumq; cruorem:
Quæq; Erebi regnis cæli deuexit in auras,
Mortali generi permiſit habenda trophæa.
Vtq; patres Solymi reſolutos compede ſontes
Libera communis miſêre ad lumina Solis
Annua ſi memori reuocarunt tempora cultu
Quando phalanx Iudæa rubras impunè lacunas

Tranſijt, immerſo vaſtum Pharaone ſub æquor:
Haud ſecus incluſos lethæo compede manes
Extulit in lucem Chriſtus, vincliſq́ reſoluit.
Quosq́ ſuo arbitrio Serpensq́, Erebusq́, luesq́
Detinuit, preſsitq́ æternæ carcere mortis:
Horum colla iugo expedijt, vacuosq́ remiſit,
Sub pedibusq́ minas fati depreßit, & Orbis,
Æternamq́ tulit miro è certamine nobis
Iuſtitiam, & propriam dedit, illo vt munere freti
Et legi, & ſuperûm regi, vitijsq́ nefandis
Poſſumus aduerſas infracti opponere vires.
Idem etiam nobis rediuiuum carnis honorem
Morte ſua meruit: non amplius agger arenæ,
Non ſcrobs, terrorem incutiet mortalibus ægris.
Credo equidem Chriſtum pedibus triuiſſe colubrum,
Deſtruxiſſe necem, mundum viciſſe rebellem,
In mare poſt tergum noſtros ieciſſe reatus,
Et ſoluiſſe ſuo precium pro labe cruore,
Conciliaſſe Deo mortales, triſtia legis
Vota ſuis poſuiſſe humeris, lignoq́ luiſſe:
Illum etiam ſacro recubantem corpore terris
Defodiſſe nefas, & mæſta ſacraſſe ſepulcra:
Nunc ſummum votis interpellare parentem,
Et lapſis hominum tutelam reddere cauſsis.
Ergo metu vacuus ſub corde exerceo plauſus
Acceptum Chriſto referens, qui pectora mæſta
Alleuat, & vitam mortalibus inſerit ægris,

Atq; hoſtes pedibus ſupponit fata minantes,
Ne quenquam lateat ſolum ſe virginis eſſe
Semen, & antiquo ſponſam eripuiſſe colubro,
Aduerſusq; minas, & vim ſine fine tueri.
Nam Verbo inuectus paßim pro curribus aurêis
Victor agit plauſum genitali à tempore mundi,
Donec pulcra trahat mundi textura ruinam.

EPHRATA.

PAſtor erat Solymæ Michas, qui numine plenus
Vincla per Aſſyriam regi, populoq; canebat:
Cuius vt à triſti ſtupuerunt carmine mentes,
Ora rédemtoris prænuntia ſoluit, & ægros
Erigit admonitu regis venientis Olympo,
Qui ſonitu Verbi diſperſum colliget agmen
Iſacidûm, & gentes Semi ſub tecta vocabit.
Cuius in aduentu ſceptris Iudæa propago
Excidet, & falſi ceſſabunt numinis vſus.
Quiq; ſub arbitrium ſuprema in luce vocabit
Omnes qui Verbi monitis parere negarunt:
Cedamus Chriſto, & moniti meliora ſequamur.
Non ego vana loquor, dictis dedit ipſa fidem res
Quæ pariter Vates de Chriſto vno ore loquuntur.
Noſtra Fides etiam ſtat in hoc fundamine Vatum
Compoſita è viuis ſaxis, vbi Chriſtus acutum
Prominet in latus, ac rupes immobilis hæret.

Vrbs deſpecta iacet, ſedes antiqua parentum
Ießidæ Vatis, Cereris quæ fertile labrum
Ex re nomen habet fœcundis Ephrata pratis,
Nomen vt Euphrati tribuit vis fertilis vndæ.
Nanq; erat in fatis vt in hac regione locorum
Prodeat in lucem Cereris tàm nobile germen
Quo manſo æternæ veſcamur munere vitæ.
Præſcius hanc paruam Michas ſic cepit ad vrbem,
Linguam, animumq; Deo plenus, dum pectore vocem
Rumpit ouans; qualis cum impulſus numine Iacob
Beniamin aſpexit verum ſub mente ſagaci,
Coniugis oſſa ſuæ campis dum condit Ephratæ.
Eia age villa breuis, quam lumine captus araret
Talpa, Paleſtinæ reputem ſi iugera terræ.
Aut tibi componam ſi rura Samaridos oræ,
Appares oculis tam paruula, fortè grues quàm
Dirucrent, quoniam Pygmæis bella minantur.
Eia age villa breuis, ſpacio, ſed fertilis alma
Fruge; tibi cedant fœcundis Gargara glebis,
Nec præ te pingues iactet nunc Mœſia campos.
Nam veluti Gideon patrio ſub limine paruus,
Magnus erat, donis animi cùm vinceret omnes:
Sic minimè minima es, quanuis minor eſſe putaris,
Nam tu magna ſatis Bethlem tua ſi bona noris,
Nec tibi ſe Solyme, nec ſe tibi, præferat ora
Quâ primùm ſe Solis equi pòſt ſydera tollunt.
Nanq; tua faciet mihi de tellure redemtor

Egreſſum

Egreſſum; veluti votis cùm ritè ſolutis
Fertq́, refertq́, gradus adyti ſub tegmina Moſes
Senſa Dei ſcrutans, & gentis ad ora reportans.
Sũmus ab hac minima greſſum feret vrbe ſacerdos,
Ex adyto mentis qui ſenſa arcana paternæ
Proferet, humanas orator miſſus ad aures.
Hic Patris ad dextram, verus ceu Beniamin, hærens
Contritor colubri, mortis deſtructor, & Orci
Agmina lethæis redimet deuincta cathenis,
Ac hominum delicta ſuo diluta cruore
Pòſt tergum iaciet rapidam ſuper æquoris vndam,
Iuſticiaq́, ſuæ ſontes velabit amictu,
Et ceu paſtor aget ſub prata virentia Verbi
Lege gregem ſatians, effuſo & Flamine potans.
Non erit hic miſeris, hominum de more, redemtor,
Quorum magna ruit momento gloria paruo:
Ceu Midiæ fudit Iöa ſatus agmina, quando
Teſta ſolo colliſa facem monſtrauit opertam,
Et fracto ſonitu profugos tuba perculit hoſtes.
Hic, aliją, duces paruo nos tempore, paruo
Expediere iugis, omnisq́, iacentibus illis
Palma iacet, nunc nos eadem tot caſibus actos
Inſequitur fati ſeries, ac ſub iuga mittit.
At non hunc ſimili rapiet ſors fluxa tenore,
Nec metas ille imperij, nec tempus habebit,
Sed ſceptrum ſine fine tenet cum Patre cöæuus,
Et pariter ſeruat mundum, pariterq́, creauit.

Nec

*Nec tantùm à culpa redimet, nec morte, nec Orco,
Non alijs etiam veniunt quæ purima damnis:
Sed quodcunq́; dabit, gratìs dabit, ille ſalutem
Porriget, & cælum ſine fœnore tradet habendum.
Non ſine ſpe precij tollit medicina labores;
Solus at hic animæ labem cum corpore ſanat
Gratuitò: quid enim vera pro dote ſalutis
Gratia noſtra poteſt largirier emolumenti?
Quidúe refert operæ tener, & ſine viribus infans
Merſus aqua, tinctus mundanti ſanguine Chriſti,
Dum capit æternæ monumentum inſigne ſalutis.*

*Hæc bona, ne dubites, poterit præſtare redemtor;
Nam patria egreſſum fecit de mente, priuſquam
Orbis adhuc aliquem concepit fabrica fundum,
Et chaos antiquum ſine luce, & imagine ſtaret.
Sed nunc tempus erit caſtæ cùm virginis aluo
Egreſſus, ſacraq́; aſperſus Palladis vſu
Flaminis officium, regisq́; aſſumet honores.*

*Naſcere vera Dei ſoboles, æterne ſacerdos,
Qui prece concilias ſupplex hominemq́;, Deumq́;
Amplexuq́; tuo iungis ceu copula vtrunq́;.
Nā quod munus habes cùm iam de virgine ſumta eſt
Carnis maſſa tibi, pridem tu munus habebas
Carnis maſſa tibi cùm nondum è virgine ſumta eſt,
Ac æterna tenes æternus munia natus.*

*Ergò mihi parua tu maxime ab vrbe redemtor
Egredere, & miſeras hominum res eripe mortj;
Tu*

Tu mihi, tu vitam cœleſti in ſede, patremq́;
Concilias, tu das menſis accumbere diuûm.
At Syrus Antiochus, belloq́; aſſueta Quirini
Poſteritas predam quæret, gentemq́; reciſam
Seruitio premet, & rapiet ſacra ſcrinia templi,
Antè grauis ſancto pariet quàm Flamine virgo,
Et damnis poſitura modum promiſſa propago
Seminis, humanæ ſe cinget imagine formæ.
Sed tamen in forti tunc colliget agmina Verbo,
Et pacis princeps valida vi conteret hoſtes.
Exin & Iudæ imperium per caſtra Quiritûm
Eruet, & mundi per tractus mittet alumnos,
Qui viua expediant animis ſolatia mæſtis
Obuia diuini quos terret imago furoris:
Ceu quando pluuiæ, ſeu roris viuidus humor
Tollit humo, atq; ſiti morientes erigit herbas.
Ille deûm cultus paſſim delebit inanes
Voce miniſtrorum, veniat dum terminus æui.
Tum pro deſpecto ſtatuet flammantia Verbo
Supplicia, æterno vermis cùm viuida morſu
In medijs carpet non credula pectora flammis.
Hæc memini, paruam Michas dum iactat ad vrbẽ,
Hinc olim genito fieret quæ maxima Chriſto,
Qui geminæ ſtirpis conſors, hominumq́;, Deiq́;,
Munia ſacra ſubit primo interuentor ab æuo,
Et Verbo regnum ſtatuit, legit agmina Verbo,
Quo partitur opes, & cælica dona miniſtrat,

Conſti-

Conſtituitq; diem ſolio cùm cenſor in alto
Supplicio ſontes, & credula pectora Verbo
Afficiet meritis, atq; omnem reſtituet rem.
Dũ loquor hæc; abijt vetus, et nouus incipit annus,
Ergo nouum mea Muſa nouo cane carmen in anno.

IN NATALEM DOMINI.

OMne adeò genus in terris, & quicquid vbiq; eſt
Gentis Chriſte tuæ, magnũ quæ ſparſa per Orbẽ,
Accinctiq; chori ſuperûm, qui Numinis alti
Semper inexpleto intuitu paſcuntur Olympo,
Aßiduas hodie pertexunt carmine grates,
Et cœli reboant laqueata, aurataq; templa
Laude Dei, qui res lapſi miſeratus Adami
Natum virgineo venturum è corpore in auras
Promiſit, miſeris opifer qui gentibus eſſet.
Hoc equidem occaſum mundi, triſteſq; ruinas
Solatus, tandemq; exacto temporis orbe
Exhibuit noſtra luſtrantem in imagine terras,
Nos ſibi mirando ſocians hoc fœdere Nati,
Fœdere, quo ſuperi ſtupuerunt mentibus, & quo
Gauderent cum gente hominum, quia gratia rurſus
Antè Deum conſtet mundo, & mortalibus ægris,
Dum veniæ medium ſe offert, maſſamq; caducam
Induit, vt mortale genus ſeruetur in ipſo.

Ergo agite, ô iuuenes, vt tanta ad gaudia rerum
Admiſſi, diuina animis ſolatia noſtris
Aptemus: iuuat Iſacidæ recludere votum,
Et noſtræ fidei Vatum monumenta priorum
Conferre, & dictis arcana exponere fata
Nanq́; eadem ratio doctrinæ eſt omnibus æui
Temporibus, pariterq́; eadem ſunt voce profeſſi
Cum proauis Vates, longoq́; ex ordine reget,
Sacrifici: ſi non fiducia nixa recumbat
Semen in exhibitum, nobis: patribusq́;, futurum,
Cætera pars concors, perfectaq́; in ordine ſummo eſt.

Atq́; hæc vt certis poſſimus diſcere ſignis,
Incipiam. Fractus morbis, æuoq́; grauatus
Iſacides, dum iam caligant lumina morte
Vicina, & tenebris nigreſcunt omnia circùm
Languenti, tamen ille animi cum lumine claro
Agnouit te Nate Dei, te, cuius & olim
Luxato femore exires productus in auras:
Agnouit natale ſolum, caſtamq́; parentem,
Atq́; adeò tempus, lethumq́; inſigne futurum,
Et regni ingentis vires in munere Verbi.
Nanq́; fidem Chriſti in meritum, nomenq́; tenebat,
Cui quondam in lucta connixus corpore, & hærens,
Diſiecit latus, alituum qui maximus ales
Per varios caſus, & tot diſcrimina vitæ
Eripuit pulſum patria, in ſolidoq́; locauit:

Qui ſcala aſſurgens gradibus, qua flammea turba
Aſcenſu ſuperat ſummi faſtigia cœli:
Quiq́ue vteri fœtus generoſo ex ſtemmate Iudæ
Hoſpes Ephrataeis ſub mœnibus iret in auras
Nepte ſua eductus, iuncti ſine coniugis vſu,
Tunc vbi res Solymæ Romanus Cæſar habebit,
Et regno exciderit Iudæ maleſida propago.
Deniq́ue morte obita, fuſoq́ue in morte cruore
Expendet mundi ſcelus, & ditione paterna
Accipiet populos, ſiue hi de ſanguine Semi,
Siue genus pulcri numerent à ſtirpe Iapheti.
Et mundum ad leges, & patria iura vocabit
Agmina conſcribens vocali in munere Verbi,
Spontè ſua quæ ſe ſanctis addicta tenebunt
Imperijs huius, regem, autoremq́ue ſalutis
Accipient venerati animis, huiusq́ue cruore
Incedent comti, & veniam pro crimine habebunt
Propterea, & rurſus data inibunt limina lucis,
Quæſitor cùm iam ſupremo munere functus
Inſtiterit terris manifeſto in corpore Chriſtus,
Qualis erat terris abiens, maneſq́ue ſepultos
Excibit tumulis, vitaſq́ue, & crimina diſcet.
Hæc genitor natis fatorum arcana reliquit
Obſcuris vera inuoluens oracula verbis,
Dum Iudæ imperium magnum, et ſacra munia mandat,
Hæc eadem Iſacus pater vt ſibi tradidit olim.
Ergò & proſequitur votis, & fauſta precatus

Luſtrauit

Luſtrauit natos, dixitq́ nouiſſima verba
Fata canens: ô natorum flos inclyte Iuda,
En fauſtis nate auſpicijs, regni ardua frena
Arbiter excipies ſummus, præſulq́ ſacrorum
Maximus, extendes ad cœli ſydera nomen.
Verùm, vbi ſceptra Deus, regnumq́ à ſtirpe Dauidis
Transferet, & pulcra Romanus origine Cæſar
Excipiet gentem, Syriamq́ profectus Idume
Seruitio premet, ac Solymæ dominabitur vrbi,
Iura, magiſtratusq́ abolens, ſanctumq́ ſenatum:
Tunc demum caſta naſcetur virgine SILOH,
Atq́ opifer rebus veniet promiſſus egenis,
Quo duce, ſi qua premunt nos actæ crimina vitæ,
Irrita perpetua ſoluent formidine mentes.
Occidet & Serpens, & Mors abſumpta triumpho
Occidet, atq́ Erebi recidet domus eruta fundo.
Quin & humo tegerem cùm coniugis oſſa, notaui
Ipſe locum aërias veniat quà verus in auras
Beniamin, & dextræ patriæ qui filius hæret,
Mortali ſine patre ſatus, ſed matris alumnus,
Matris, quæ domui Ieſſææ ſanguine iuncta eſt.
Huic Siloh cognomen erit, quem miſit in Orbem
Arcano Pater ipſe ſinu, quò faſcia ventris,
Virginis & fœtus tener, & lita ſanguine maſſa
Eſſet, & hunc noſtræ carnis velaret imago,
Sed ſine labe tamen, ſed caſtæ in virginis aluo,
Viuida obumbrabit, cùm Numinis aura puellam.

Quanuis Tharidæ dicatur origine Semen:
Luxatis tamen ille meo ſub corpore lumbis
Naturæ ſortem citrà, officiumq́; virile
Vi ſupera Flatus tantùm prodibit in auras
Matre ſatus, caſtæ quæ virginitatis amorem
Intemerata colit, tactus ignara mariti.
At verò hic de patre Deus, de matre pudica
Verus homo, reget imperium ſine militis vſu,
Armorumq́; metu; nam tunc tractabile vulgus
Sponte ſua accipiet leges, dominiq́; potentis
Frena pati, & ſanctis diſcet parere lupatis.
Imperium ſine Marte geret; quin aſpera ponent
Corda homines, ac ipſa volens, faciliſq́; ſequetur
Turba, fidemq́; dabit verbis: dux ipſe volentes
Per populos dans iura viam ingredietur Olympo,
Æternumq́; ſuis ſubmittet legibus agmen
Collectum de ſtirpe Semi, & de ſtirpe Iapheti.
Nanq́; Aſinæ pariter veteris, quæ legis onuſta eſt
Mole graui, pulliq́; iugum non corpore paſſi
Terga premet, gentem quæ ſe non lege tenebat
Legiferæ iungens genti: tum in ſtirpe ligabit
Palmitis, & vinctas generoſa in vite tenebit.
Nimirum ætherias vires, & palmitis huius
Edoctæ agnoſcent numen, ſtabuntq́; racemis
Deuinctæ, ſacroq́; replebunt nectare mentes
Ducentes alimenta, vocabunt hunc quoq́; votis.
Quin & purpureo certantem murice veſtem

Sanguineis Bacchi guttis, minioq́; rubentem
Inducet membris; liuentia ſanguine membra
Aſpicite, & ſæuo traiectum vulnere pectus.
It totis cruor è venis, corpusq́; rubeſcit,
Ceu cùm purpureas calcauit vinitor vuas,
Perfuſiq́; artus ducunt cum veſte colorem
Sanguineum, & rubris geſtat lita viſcera punctis.
Hauſtus at ille fide cruor, & ſic mentibus ægris
Suppoſitus, ſordes animæ tunc oblinet omnes,
Luſtrabitq́; pios, & feſto ornabit amictu
Iuſticiæ, noſtram faciens, quam fecerat ipſe,
Et propriam fidæ genti dabit; hoc decus illis,
Hoc ſolamen erit: Tua ne hæc per vulnera ſeruor
Morte tua viuens? tanta eſt venia hoſtibus ipſis.
Verùm hæc expediet vocali in munere Verbi
Quod mens aure capit, fidoq́; in pectore voluit,
Nec leuiter curat, nulla ratione, nec vllo
Intenta in ſtudio, ceu bruta ſine ordine rerum,
Et nulla ratione ruunt. Pater ipſe, ſalutis
Hanc vnam eſſe viam voluit, qua ritè docentes
Sanguine luſtrarent populos, tignisq́; leuatum
Vulgarent Chriſtum; dehinc dona in ſanguine parta
Offerrent animis, Verbo, ſignisq́; ſacratis.
Chriſto quippe datum eſt ſoli, luſtrare ſuperno
Igni animas, penitusq́; ſacrum demittere Flamen,
Quod Verbi officio cultorum in pectora ſpargit.
Hæc quondam Iſacides vitæ iam in ſorte ſuprema

Haud Chriſti ignarus, venturiq́ue inſcius æui
Edidit, & natis poſt ſe memoranda reliquit.
Hæc eadem canimus, Chriſtoq́ue nouamus honores
Solenni iam in luce pij, ſummoq́ue parenti
Pro nato exhibito, donisq́ue ingentibus Orbi
Cum nato exhibitis, pro religione, fideq́ue
Tàm certa, & veterum fundata in carmine Vatum,
Et pro tot meritis lapſo quæ præſtitit anno,
Bella procul, peſtemq́ue fugans, caſta ocia Muſis
Conſeruans, ſua cuiq́ue domi cumulansq́ue, tegensq́ue:
Voce pia, & voci coniuncto pectore grates
Seruati ferimus, diuinaq́ue iura profeſſos
Quo decet, & fas eſt, digno veneremur honore:
Teſtatiq́ue fidem factis, pro munere magno
Munera parua damus, pro vt cuiq́ue eſt copia rerum,
Et vitæ auxilium ſacra deponimus ARA.

IN FERIIS NATALITIIS CHRISTI.

QVantus amor noſtri eſt, quãta indulgentia patris
Ætherei, cùm ſpontè vices miſeratus acerbas
Vnigenam natum terris donârit habendum,
Qui res humanas triſti iam vrgente ruina
Componat medius, per eum quò gratia facta

Conſtaret

Conſtaret rurſum antè Deum mortalibus ægris,
Amplius & terris iraſci deſinat æther.
Quandoquidem foret illa Dei explorata voluntas,
Vt cuicunq; fides in eo eſt, imperditus eſſet,
Atq; vnà imperium teneat, vitaq; fruatur.

Ille vt res hominũ in melius cum morte referret,
Eriperetq; iugo, Deus æthere miſſus ab alto
Mortales auras hauſit de virgine caſta,
Qui natus ſummi patris cognomine fertur:
Gloriaq; ipſius manifeſto in numine viſa eſt,
Gloria, qua ſola fruitur Patre natus ab alto.

Ergò ille in cunis infans ſine diuite cultu,
Pro molli pluma, pro texti velleris vſu
Molle caput fultus ſtipula, atq; arentibus herbis,
Natura Deus ille, Deus de numine Patris,
Natura manifeſtus homo de ſanguine matris
Editus in lucem noſtris habitauit in oris.

Teſtes aligeræ legiones per loca campi
Lætitia cumulant magna qui in ſaltibus illis
Paſtores ſeptis tenerum pecus includebant.
Illi, vt erant moniti, puerum in præſepe iacentem
Inueniunt, brutum iuxta pecus, inq; volutum
Faſciolis: neq; enim temerè eueniſſe putandum eſt,
Sed ſecum vt ſtatuant non caſſam corpore formam
Aſſumſiſſe Deum, ſpeciemq; effingere inanem:
Sed ſtirpem humanam, ſtirpiq; per omnia noſtræ

Perſimilem, præter labem quæ in corpore noſtro eſt.
Tamq; hærent ambæ inter ſe compagibus arctis,
Vt nunquàm humanam ſtirpem ſtirps dia relinquat,
Adſumtamúe ſemel diuino abſumat ab igni.
Atq; vbi iam lucem bis quarta reduxerat Eös,
Tunc puero generis ſignum, de more recepto,
Imprimitur qua parte viri ſumus, & ſacra primùm
Gutta cadens pelle inciſa ſacram imbuit aram,
Aſſumtæq; dedit carnis libamina prima,
Vnus qui noxam pro nobis ſanguine ſoluat.
Inuenti tamen hunc contrà qui ſpargere voces
Haud veriti, & ſæuire animis, & tendere contrà
Luce palàm, & tenebris, qua ſe res cunq; dedêre.
Pars, qui ſe Chriſto ſunt auſi opponere apertis
Indicijs, magnoq; furore intendere litem:
Illi hominis ſtirpem in Chriſto, Numenúe negârunt,
Aut homini, aut aduerſa Deo documenta profeßi.
Pars & in obſcuro pugnant, quæ maxima turba eſt,
Amplexa iſtorum penitùs fundamina, quanquàm
(Heu vatum ignaræ mentes;) non vlla videri
Senſa fouere volunt vlli contraria ſtirpi.
SED quia de Chriſti perſona ex indice aperto
Cæleſtis Verbi cenſuram ſumere oportet:
Non equidem, non vana putant ſe fingere inani
Conſilio: at certo nixos ſe inſiſtere Verbo
Clamore ingeminant magno, inflatiq; feruntur
Per medios impunè viros, & lumina vulgi
Præſtrin-

Præſtringunt, ſed vera animis ſolatia tollunt.
Quare agite, ô iuuenes ne vos malus auferat error,
Incautiſuè animis varium, & mutabile ſemper
Commentum irrepat falſa ſub imagine veri:
Diſcendum quæ ſit via recta inquirere verum,
Et quo ſit ſcriptura modo tractanda videndum eſt.
Scilicet ad Fidei rationem tradita quæq;
Exigere, & ſanctos fas eſt cognoſcere fontes,
Ne fors impigant Fidei in fundamine dicta.
Quiq; aperit dictis quid dia volumina narrent,
Non ille in medium Fidei pugnantia ſenſa
Proferat, aut quicquam perſuaſu captus inani
Aſſerat, vt pulcris videatur floribus auſtros,
Doctrinæ & liquidis immittere fontibus apros.
At Fidei ratio, ſcripturæ exiſtit in ipſo
Conſenſu liquido, quem mens, quæ prædita rectè eſt,
Conferre inter ſe, & ſenſu diſcernere debet
Iudicij normis ex Verbi lumine ſumtis.
Et facilè eſt, quoniam ſuperant in pectore noſtro
Notitiæ, quæ cuncta valent diſcernere mente
Cùm ſacer illuſtrat præcordia credula Flatus.
Si nulla eſt homini certa, & firmata facultas
Iudicij: nec erunt ſuper vllæ in mentibus vllis
Noticiæ: nec erunt vlli quos poſſe putandum eſt
Numinis afflatus veros diſtinguere vanis,
Rimariq; acie ſcripturæ oracula, & angues
Prudenti cautos imitari indagine mentis,

Dictorum capti diuerſa vt imagine ſæpè
Conſulimus Verbi conſenſum ex ordine longo,
In dubio & petimus reſponſa ambage retecta.
Ergò adhibenda illis qui cœlica verba recludunt
Cura ſagax, Fidei conſenſum ex fontibus ipſis
Quærendi, ſi multa manu noctesq́; diesq́;
Euoluunt monumenta virûm, ſecumq́; volutant
Autores operum variorum, artisq́; repoſtæ.
Nanq́; miniſterio linguarum, artisq́; ſagacis
Expers, heu nunquam meditando excluſerit illum:
Qualia multa ſacris ſunt monſtra inuecta libellis
Barbarie dominante locis; malus abſtulit error
Omnia, & in peius doctrinæ ſenſa retorſit.
Nec ſub mente Dei benè conſentire putandum eſt
Si qua ſuo pugnat diſcors ſententia verbo:
Et non conueniunt diuino in pectore, quæ non
Conuenêre prius diuino accommoda verbo.
Quæq́; ego ſcripturæ certo fundamine nixus
Inter ſe aduerſis luctari iudico formis;
Hæc pugnant damnata Deo ſub crimine falſi.
Nam duo cùm pugnant inter ſe dicta viciſſim,
Ex illis vnum mendax, falſumq́; repertum eſt.
Ergò operæ precium eſt ſolerti intendere ſenſu
Omne vt commentum fugias cane peius, & angue
Quodcunq́; in Verbo contraria ſenſa relinquit.
Sed fugite ô iuuenes Corybantum inſana reperta,
Hei malè qui noſtro ſunt tempore ſacra profeſſi,
Numine

Numine contacti Leuo, & nos tradere diris
Non dubitant, tanquàm ſectantes ſcita ſophorum
Omnia qui cupimus fidei ratione probari.
Hinc coniuratos aulis colludere fratres
Cernimus incauto figmenta obtrudere vulgo
Infandùm ſua, & è tenebris iam in luce receptam
Diſsimulare fidem. Sequimur tua ſcripta Melanthon
Optime, iudicioq́ tuo paremus ouantes.
Ne quæſo, ne tanta animis præſumite bella,
Nec pietatis opus procerum componite ad auram.
Sic antè Heroden nitida cum veſte puella
Exercet blandita choros; dux fœmina facti,
Cùm caput innocuum Vatis ceruice reuulſum eſt,
Caſtigabat enim dictis ſcelera impia regis.

Sed nos, ô iuuenes ſtudium queîs vera tueri,
Iudicij normam non ductam è fonte Sophorum
Sumimus: ex Verbi patefacto hæc lumine nata eſt.
Verùm hac ex Verbo poſita, certè vnus, & idem eſt
Proceſſus rationis, & inſtrumenta petuntur
Æquè eadem, dubia quæ in re mens noſtra requirit,
Cùm ſub iudicium reuocare negotia ſueuit,
Resq́ alias extrà diuini oracula verbi.

Sed Deus eſt, qui noſtra regit ſtudia, atq́ labores,
Et Sophiæ ingenuas artes in gente piorum
Illuſtrans ſeruire iubet tibi Chriſte, tuisq́.
Pro quibus, vt dignũ eſt meritas perſoluere grates,

Nūc memores canimus tua dona, patremq́; rogamus
Ille tuas propter laudes, & propter honorem
Egregias animas & veri, & pacis amantes
Æternùm auxilio foueat, ſtudijsq́; ſecundum
Annuat euentum. Spes tu tantùm vna ſalutis,
Tu requies miſeris, decus, imperiumq́; parentis
Te penes, in te vno fiducia noſtra quieſcit.

Cùmq; per hos menſes, ſancto ceu more receptū
Progreſſum in ſtudijs deceat cognoſcere vulgò: (eſt,
Nunc quia defuncto ſtudiorum præſide vero
(Quem non ingenio, quem non pietatis egentem
Abſtulit atra dies, mœrore vt fractus acerbo
Impendere Orbi præſentia fata videret,
Atq; altè vera pro religione doleret:)
Subſtituor vacuæ ſedi; quicunq; ſubire
Cenſuram cupiunt noſtram, vel ferre parati
Doctrinæ ſpecimen fuerint, ſua nomina nobis
Ritè ferant, meritaq; expectent præmia palmæ.

CALENDIS IANVARII, DE CIRCVMCISIONE.

PRincipiò, nouus exactis dum menſibus annus
Incipit, & Chriſti dono hæc quoq; tempora viui
Attigimus, tot fata inter duriſſima rerum,
Tot ſcelerum facies inter, dum pectore mœſto
Sentimus

Sentimus mala noſtra domi, peregrina dolemus,
Quæ nunc, quæ toto miſcet Mars impius Orbe:
Dij faciant, lætum nouus annus vt exerat ortum,
Qui puero naſcente nouo mortalibus ægris
Affulſit primùm, nec longum tempus, & Orbi
Deſuper æterno tandem ingredietur honore,
Omnia cùm noua erunt Chriſto duce, et auſpice Chri-
Qui noua morte ſua reparauit ſecula vitæ, (ſto,
Et noua progenies cœlo demiſſus ab alto eſt.
Hei nihil huic veteri fas quenquam fidere ſeclo,
Quippè vbi fas verſum eſt, vbi tot bella, horrida bel-
Tot ſcelerum, atq; mali facies; non artibus vllus (la
Dignus honos, ſquallent neglectæ in puluere Muſæ,
Stultitiam patiuntur opes, ſua cuiq; voluptas
Fit Deus, atq; viam factis violentia quærit.

Sed quid ego hæc autem nequicq̃ ingrata reuoluo?
Fas etiam tolerare bonos quæ publica ſors eſt,
Illic præmia erunt, hîc ſunt odia, atq; labores.
Hinc ergo à lacrymis conuerſi ad vota feramur,
Luce bona bona verba ſonent, ſanctumq; trahamus
Sanctas per voces tempus: iuuat ardua ſacra
Tentare, & feſti cauſſas aperire diei.
Tu Flamen cœleſte refer, quæ cauſſa ſubegit
Chriſtum etiam arcana membrorum in parte recidi,
Tu nomen pueri, & rationem nominis æde
Antè ſacro puero impoſuit quod præpes Olympi

Quàm Virgo ædiderat conceptum in lumina vitæ.
Attulerat Patribus tandem exoptantibus ætas
Auxilium, aduentumq́; Dei, quem rector Olympi
Deſuper exitio ſerpenti, & triſtibus vmbris
Vouerat, vt noſtræ collectus in ora figuræ
Ferret opem mundo. Sed iam reuoluta ruebat
Octaua iam luce dies, cùm murice acuto
Pellibus in morem ſciſſis genitalia circùm
Signum impreſſerunt generis, nomenq́; dederunt.
Sacrorũ hunc morem ſeruari in gentibus Abra
Sancierat genitor, mas omnis vt æditus auris
Cum ſilice inciſus genitali in parte notetur,
Hocq́; ſibi monumentum habeat, pignusq́; ſalutis.
Hunc olim gentes, rerum cœleſtium inanes,
Ritum affecerunt riſu, quòd cædere acuto
Crimina tentarent ſaxo: quin ciuibus ipſis
Aſper, & in nullo eſt viſus diſcrimine ritus,
Offenſæ plenus. Sed quando Numine ab alto
Sunt fixi ritus, non ſunt ſine numine ritus.
Et mos ille quidem ſignum cœleſtis amoris,
Et pacti nota certa fuit, pignusq́; ſalubre
Iuſticiæ Fidei, qua Verbo oblata ſonante
Promiſſa accipimus, diuinaq́; munera Chriſti
Quisq́; ſuæ aſſerimus menti, penitusq́; fouemus
Propria, teſtati ritu nos fidere Verbo.
Hoc quondam infantes firmantur pignoris vſu
Quòd ſint conſortes cœli, cœliq́; bonorum.

Quin

Quin etiam hoc ſigno docuit Deus omine aperto
Verſa in deterius generis primordia noſtri.
Quoquot enim nati vitales carpimus auras:
In lue concepti cœleſtûm attraximus iras,
Corrupta de carne caro, de ſanguine ſanguis
Morte recidendus, ne pars ſincera trahatur.
Ritus item fuerat promiſſi ſeminis index,
De quo tunc ſoliti Patres ſermonibus vti.
Et velut hanc partem truncant; ita iure mariti
Nullius, aërias naſci debebat in auras.
Deinde per hoc Semen naturæ perdita noſtræ
Semina in integrum rurſus referenda docebant,
Cùm petra inciſi, (petram te Chriſte vocamus,)
Corruptam hanc letho carnem damus, & noua maſſa
Ex vnda, & Flatu generamur denuò ad auras.
Sic & more pari memores tua vulnera Chriſte
Seruati canimus, cùm ſacri fragmina cruſti
Mandimus, inq́ fide tecum conſortia inimus
Corporis, vt nobis olim monumenta relinquens
Fida tui, ſacra libaſti corpus in ara
Ipſe tuum; nec nos fallax ludebat imago.
At verò vt natum claro ſe ſemine Abrahæ
Proderet, & membrum quod iunctum eſt ſanguinis
Iudæo populo: tandemq́ impleret vt omnis (vſu
Iuſticiæ partes, penitusq́ aboleret in Orbe
Quem Solymis ſaltem ritum mandârat habendum:
Iam tum paſſus erat patrum ſe more recidi.

Nec

Nec lex vlterius quenquam tenet; ædita nobis
Signa noui pacti renouato in fœdere conſtant.
Exin perfectis diuinis rebus, & ipſum
Appellant puerum diuino nomine IESVM,
Non caſu, ſed ſic voluit Pater altus Olympo
Aligerum iuuenem pueri recludere nomen.
Ex re nomen erat; nanq; ipſe ſalutifer Orbi
Adueniet, populosq; ſuos à labe reducet
Verus homo, verusq; Deus: nam dictus IESVS
Compoſitum nomen gemino de ſtemmate ſeruat.
Hic patribus promiſſa ſalus, vt imagine carnis
Adparens mundo, commiſſa piacula ſoluat,
Quæ propter iuſtis odijs Deus arſit, & omnem
Excuſſit noſtri penitus de pectore amorem.
Ex illo qui nos caſus, quæ fata ſequantur,
Quisq; videt, quantos patiatur mille labores,
Quot ſcelerum pœnas expendat corpore in iſto
Tranſcriptus flammis Erebi ſub nocte profunda,
Quantum nemo vſquàm potuit ſuperare laborum,
Nec quiſquam miſeras hominum res morte leuare,
Ni ſe hic in medio daret, & componere fœdus
Auſus erat, tegeretq; ſcelus, rurſusq; referret
Sanguine iuſticiam, factis dum ingentibus implet
Sponte ſua leges Patris, & pœnam inſuper haurit
Mox duræ ſortis patiens iuuenilibus annis,
Prodigus & vitæ tandem, ſanctiq; cruoris.
Hæc qui ſcire cupit iuuenes, & deniq; ſacros
Scripturæ

Scripturæ fontes penitus recludere dictis:
Multa tulit, didicitq́ puer, paſſimq́ ſagaci
Iudicio euoluit veterum diuina reperta.
Ergò agite, & qui iam cenſuræ credere noſtræ
Seq́, ſuumq́ volunt ſtudium; ſua nomina nobis
More ferant ſolito, non his propenſa voluntas,
Non promti ratio officij, nec cura iuuandi
Vnquàm aberit, doctosq́ viros ſua palma ſequetur.

IN RESVRRECTIONEM DOMINI.

QVæ noua naturæ facies micat vndiq́, & Orbem
Luce ſua veſtit? quæ nam hæc tàm clara repentè
Temperies? prima & tellus, & conſcius æther
Dant ſignum: memini dudum ſpes tota ſalutis
In dubio iacuit ſignis confuſa timendis,
Cùm Sol obſcura tegeret ferrugine vultus,
Inficeretq́ diem tenebris, magnoq́ tremore
Omnia concuteret tellus, penitusq́ latebris
Exigeret manes repetitæ lucis in auras.
At nunc omne animans, & conuexa ardua cæli
Torporem poſuére, omnisq́ repentè reſurgit
Abiectæ telluris honos; vidi ipſe coruſcum
Luce noua ferri Solem; nanq́ ipſe morantes
Iungere equos curru famulantibus imperat Horis.

Aduenit

Aduenit qui noſtra dies è faucibus Orci
Commoda reſtituit, Patris cùm numine Chriſtus
Pœnas, & ſæui paſſus diſcrimina lethi
Corpore preſsit humum, feſtaq; in luce quieuit,
Infernasq; adijt ſedes, manesq; piorum
Ex Erebo duxit, victorq; ad ſydera rurſus
Ætheria, & cœli ſuperas euaſit ad auras,
Dum triplices egêre vices nox atra, diesq;.
Ex illo celebratus honos, lætiq; minores
Religione patrum totos tres ordine ſoles
Seruarunt, operum immunes, ſtudijq; profani,
Dum te Chriſte vocant per carmina læta, tibiq;
Pro meritis dignas tendunt perſoluere grates,
Quos propter tantos potuiſti ferre labores,
Vt triſtes ſine Sole domos, loca turbida adires,
Rectoremq; Erebi manibus poſt terga reuinctum
Exueres ſpolijs, tandemq; immane barathrum
Deijceres, mortemq; haurires ipſe triumpho,
Eq; lacu, quam nulla rigant vada, nullus aquæ fons,
Felices proauorum animas tecum inde referres.
Quare agite, ô homines tantarum in munere lau-
Luſtratos adhibete animos, (fas felle carere (dum
Fermenti,) & ſanctis agitate in legibus æuum,
Communemq; vocate Deum, et date præmia laudum.
Non equidem hæc ſine lege Dei ſacra annua nobis
Vana ſuperſtitio, veterumq; ignara bonorum
Impoſuit: ſtat fama trium celebrata dierum
Patribus

Patribus, æternumq́; tenent per ſæcula nomen.
Nam neq; laude pares, factisuè ingentibus vllos
Extulit, aut æuo inſignes ſcripturæ notauit,
Quintum poſt decimum, quiq; hunc duo ritè ſequun-
Si primum ad menſem Iudæi reſpicis anni. (tur,
Ille dies, feſtæ lucis qui præuenit ortum,
Nomen habet facti; ſiquidem memoratur in illo
Gens Syriæ victu tantùm incubuiſſe parando:
(Nulli fas ſacris quicquam exercere diebus.)
Illo quippe die mactatus concidit Agnus
Relligione patrum latè ſacer, omniaq́; antè
Munera, queis opus eſt, nobis bone Chriſte paraſti,
Quæ nunc prenſa Fide firma, ſed in æthere quondam
Præſenti intuitu gens fortunata tenebit.
Inde alter de more dies, qui in luce profeſta
Iudæis populis ſero iam veſpere inibat,
A celebri ritu magnus cum nomine fertur:
Quem ſatus ipſe Deo ingenti célebrauit honore
Ingentem, vt placida compoſtus pace quieuit
Marmoreo in tumulo, nobis quos improbus vrget
Aßiduè labor, & vigiles ad pectora curæ,
Promeritus requiem vitali lumine caßis,
Donec longæui perfecto temporis orbe
Nobis ſomnum ingens rumpet fragor, oſſaq́; & artus
Sopiti aërias emergent rurſus ad auras.
Illa concluſæ in domibus ſe luce tenebant
Matronæ; Chriſti quas funere luctus habebat,

Nec fas egreſſu ſolennia rumpere ſacra.
Iamq́ vbi feſta dies rurſum inclinarat, & vndas
Heſperias prono defertur lumine Titan:
Tertia lux oritur, cui Teutona lingua loquendo
Nomen ab euentu tribuit, quód victor ad auras
Chriſtus ijt, ſecumq́ aliquos ad lumina Solis
Extulit, in vitæ certa argumenta futuræ.
Quin etiam Moſes lucem hanc cognomine dixit
Primitijs ſacram, qua gens Hebræa maniplos
Ventilat, atq́ nouis cumulat de fructibus aras:
Et patrio de more, Deo cùm ſacra paraſſet,
Iàm tum meßis erat calida in regione locorum.
Hi verò tres ritè dies, ſeptena dierum
In ſpacia inciderant mellitis fixa placentis.
Nam neq́ Iudæi ſolùm ſub tempore Moſis,
Sed patres morem ſacrorum hunc antè tenebant,
Et cùm liber adhuc primo ſtatus eſſet in æuo.
Quandoquidem norant illis quòd forte diebus
Maſſa vetus fermenti acris, doctrinaq́ fallax,
Et labes tollenda loco ſit vindice Chriſto,
Vt poſthac puros agitent ſine ſordibus annos.
Ergo illos ſeptem labentes ordine ſoles,
Gens accincta viæ cùm feſtum abſumeret agnum,
Dulcibus & libis ieiunia mœſta leuaret,
Paſcha vocant, cauſamq́ trahunt à præpete ſaltu,
Per Nili tractum innocuus quòd limina prædo
Præterijt, ſaltusq́ dedit populator, vbi agni

Aſperſus

Aſperſus cruor ad poſtes, diſcrimina fecit
Iudææ, Phariæq; domus: velut arbiter Orci
Cùm triſte intentat lethum, diſcedere retrò
Cogitur, atq; aliò ſceleratos vertere greſſus,
Pectora ſi qua videt Chriſti ſignata cruore.
Nunc age, & expediam res geſtas, omine plenas,
Lucibus his olim, blandi ſub tempore Veris.
Nam ſi rem prima repetens ab origine pandam,
Fertur Abel lectum mactaſſe ab ouilibus agnum,
Primitiasq; Cain frugum ſacraſſe nouarum,
Cùm ter quinq; dies primo confecerat orbe
Cynthia. grandæuumq; Noam veſtigia primùm
In ſicco poſuiſſe ſolo, & liquiſſe latebras
Fatalis cymbæ tepidi ſub tempore veris.
Et Lothus immunis pluuiali euaſit ab igne
Cùm flammæ vltrices Sodomam inuaſere merentem.
Et vada Iordanis diuiſo vortice præbent
Se Syrio calcanda duci, dum marginis oram
Attingat, ſiccaq; pedes exponat in vlna.
Et tum concreti roris cœleſtia dona
Deſierant, quibus in Lybiæ regionibus vſi
Iſacidæ ſoluêre famem per inhoſpita rura.
Quid memorem Rachaben vrbis quæ ſorte ſupremæ
Educta exciſos vidit nullo ariete muros,
Æquatosq; ſolo ſonitu impellente tubarum,
Orbis in exemplum, clauſo cùm venerit æuo
Vltima tempeſtas, rauco crepitante fragore,

Præcipiteſq; ruent ſtellæ, & mox cardine rupto
Axis vterq; loco abſiliet, terraſq; cremabit.
His etiam certum eſt Solymos exiſſe diebus
Vincláq; vimq; ducis Pharij; dehinc nocte ſub vna
Percuſſu primos cecidiſſe per oppida fœtus,
Fictáq; ſigna Deûm Pharias deiecta per aras.
At Iudæa phalanx feſta non luce morata
Intendebat iter properè, & conſidere caſtris
Non dubitat, celebrátq; dato conuiuia victu:
Nec dum lege Dei lux feſta indicta vetabat.
Iamq; dies iterum proceſſit, & humida cœlo
Nox ſubijt, cùm rura petunt Hachirotica, rubris
Proxima litoribus, tenduntq; euincerè pontum
Inſuetum per iter noctis ſub tempor; eat illos
Suſpenſa in montis faciem circumſtetit vnda,
Et ſuperare dedit fundum, & contingere terram.
Iamq; vbi quarta ſubit tacitæ cuſtodia noctis,
Tollit ſe arrectum Dominus rutilante columna
Noctem, hyememq; ferens, & inhorruit ignib. æther
Turbidus, & rauco tremuit cum murmure tellus
Viſceribus concuſſa ſuis; homineſq;, feraſq;
Per terras humilis ſtrauit pauor, vndiq; & atro
Collucent igni fluctus, & littora pulſant.
Haud tamen audaci Phario fiducia ceſſit
Littora præripere, & fugientes prendere terra.
Dumq; ita tendit atrox legionibus ire per altum,
Et pelagi vada cœca vrget, reuoluta viciſſim

In ſemet

In ſemet coit vnda, neq; hinc exire poteſtas
Eſt regi, & multam accepit ſuper ora paludem,
Et præceps in aquas immani turbine adactus
Singultantem animam reiecit ſanguine in æquor.
Adparent crebri nantes in gurgite rubro,
Diſiectiq; ab equis voluuntur in æquore currus.
Nec procul à vero eſt Ionam per cærula pontj
Illa lûce iterum Ceti emerſiſſe latebris
Præreptum ad Solem, deſuetasq; ætheris auras;
Quandoquidem ille ſua referebat imagine Chriſtum.
Accipe nunc antiqua trium monumenta dierum,
Arcanis vmbris reditum ſignantia Chriſti
Exciti letho, lethi qui compede patres
Expediјt ſecum, primi cùm facta piaſſet
Patris, labe carens agnus, quem deſtinat aræ
Omnipotens pater, vt patrias extingueret iras,
Et letho caderet pro tot mortalibus vnus.
Hic ſemel exactis ſacris, ſacra omnia ſupplet,
Nec fas inde nouos genitori opponere honores
Exiguæ cruſtæ, quæ Chriſti in corpus abire
Murmure Theſſalico ſacrantis ab ore iubetur.
Ille & primitijs quondam eſt ſignatus auorum,
Primus qui redijt propria vi lucis in oras,
Qua veteres primum ſacrabant luce maniplum.
Nanq; ſuis fatis deberi has ordine luces
Edocuit facto Chriſtus, dum caſus ad Agni
Inſtar obit lethum, clauſaq; quietus in vrna

 Delituit

Delituit lucem totam; dehinc luce ſequenti
Corripuit ſeſe, & mæſtis citus extulit antris
Dum vigil excubias quarta vice noctis agebat.
Tum tellus rauco tremuit commota fragore
Victor vt euaſit tumulo comitantibus vmbris,
Ac Erebi dominum vinclis incluſit ahenis
Cardine conuellens poſtes, patreſq; reſoluens
Compedibus, quibus addictos ferus hoſtis habebat.
Sed mihi quæ tanto ſunt munera parta triumpho?
Nanq; hominum cauſa ſubijt tot ſponte labores.
Iuſticiæ mihi dona refert in munere Verbi,
Mî tribuit ſua regna, mea eſt victoria Chriſti.
Et cùm prima dies nobis mortalibus oris
Acta fuit, carnemq; anima mors atra reſoluit:
Tunc poſiti dulcem viridi in tellure quietem
Exigimus, nec legem vltrà, ſæuumq; moramur
Regnatorem Erebi; nec conſcia pectora culpæ.
At cùm tertia lux reuoluto venerit æuo:
Ille idem abſumtos cineres, tenuemq; fauillam
Corporis antiqui, reuocans ad gaudia vitæ
Reſtituet, patrijq; dabit conſortia regni,
Concilio in magno ſuperûm, quibus agmine iuncto
Claudemus latera, & comites hærebimus vnà
Iucundo ſuper aſpectu, & ſermone fruentes.
Nec tum ærumna locum, nec tum labor vllus habebit:
Mors aberit, nulloſq; auellet ab vbere natos
Amplius, aut caros amplexu abrumpet amicos:

Gaudia

Gaudia erunt illic, vita vndiq́, & vndiq́ ſenſus
Lætitiæ, paßim & choreæ, cantusq́ vigebunt,
In medioq́ mouens Deus omnia in omnibus vnus.

IN PENTECO-STEN.

NVnc puris animis opus, & nunc pectore fido
Tantum indulgendum ſacris, moresq́ nouandi.
Non benè conueniunt, nec in vna ſede morantur
Conſcia mens, flatusq́ ſacer: procul eſte prophani
Qui retrò in crimen ruitis, vitæq́ prioris
Turpe iter ingreßi conceptam in pectore labem
Membrorum officio claras profertis in auras,
Frena decet membris imponere, vincere motus
Spiritus excutitur: dominante cupidine carnis.
Ne quæſo, ne flatum illum de pectore veſtro
Exigite, inq́ pijs habitantem triſtibus auſis
Perturbate feri: vindex male facta rependit,
Et benè facta Deus; neq́ enim illo eſt iuſtior alter.
Nanq́ hac luce olim, (lux quinquageſima faſtis
Fertur ab Ægypti egreſſu, dehinc tempore ab illo
Quo nece deſtructa Chriſtus, prodiuit in auras:)
Chaoniæ in faciem collectus, & ora volucris,
Linguarumq́ ignem vibrantûm in imagine viſus
Spiritus ille Dei, noua lex, in credula corda
Bis ſex ſacrorum procerum, diffuſus Olympo eſt,

Cùm ſubitò ingenti ſe finderet æther hiatu,
Et tremefacta nouo mugiret terra tumultu,
Inſuetusq́ ignis penetralia luce repleret,
Atq́ ille, vt rapidis ventorum vectus in alis,
Cum ſonitu irrueret, turbamq́ inuaderet omnem
Inſiſtens linguis verba in variantia fiſsis.
Sic vbi quinquaginta ierant ex ordine ſoles,
Ex quo gens Solymæ Nili à regione reuerſa eſt,
Antiquam genitor magno cum murmure cœli
Propoſuit legem, tabulis, ex marmore ſcriptam.
Ergò agite, & tantæ lucis celebremus honores,
Sermonem inter nos ſanctis de rebus habentes,
Et noſtræ partem fidei de numine Flatus,
Officioq́ ſuo, dictis firmate ſacratis,
Et Vatum reuocate animis oracla priorum,
Qui vim perſenſére Dei, longeq́ remotos
Concepêre animo caſus, arcana profeſsi,
Queîs res ſcire dedit Deus, atq́ aperire futuras.
Sic patris, & Nati magnum agnôſcetis amorem,
Et gratis dictis donum hoc inſigne feretis,
Quòd miſeros, tantaq́; oppreſſos ſorte laborum
Templa ſui Flatus fecit, tantoq́ potiri
Theſauro dedit, ille hominum ſeruator, & auctor.
O ſi nunc noſtris ſe ille oſsibus implicet ignis
Plurimus, & ſancto ſuperûm ſuccendat amore.
Luſtratamq́ igni mentem ad ſupera ardua tollat
Vltrà auras, Solisq́ vias, vbi trina poteſtas.

Lucis inacceſſæ radijs circùm ora coruſcat.
O ſi lux ea mî triſtes à pectore nubes
Differat, & larga paßim ſeſe explicet aura,
Vt me ab humo releuare queam, & nos dißita ſuprà
Rimari ingenio, quo fonte amor ille redundet
Viuus, & indefeſſus, & inſcrutabilis ardor.
Hunc per Sachariam Vatem promiſerat olim
Orator patris æterni, ſummusq́ ſacerdos
Spargens ſanguine, et alta docens præcepta parentis,
Pro nobis & ſacra parans, & vota profundens,
Nosq́ oleo, cæleſti oleo vi Flaminis vngens,
Quē præter luſtrare igni, & maculam abluere omnē,
Et Flatum conferre ſacrum, & cæleſtia dona
Partiri in numerum, non fas mortalibus vllis.
Ille eſt pollicitus nobis, quondam affore tempus
Quo flatum effundet proprij de numine flatus,
Non reprobum factis, & non Satanæ inſtar habentē,
Spiritibus cœli ſimilemúe, boniúe creati,
Sed ſanctum, Flatumq́ Dei, nec more creatum
Principij, & finis, cum Nato, & Patre creantem
Omnia, cui compar natura, ac æqua poteſtas,
Vt viuum patris, ac Nati ſpiramen, amorq́
Mutuus, & viua Deitatis tertius ordo,
Quiq́ aliud munus diſtinctum à munere Chriſti
Tranſigit in terris, aliusq́ leuator ab illo eſt,
Qui curis confecta, & conſcia pectora lenit.
Hunc igitur ſatus ille Deo ſe effundere Flatum
 Teſtatur

Confirmat nobis, non tantùm vt copia aquarum
Fuſa ſuper terras ſitientes erigit herbas:
Nec propter veteris tantùm fatalia Aronis
Vnguina, quæ diffuſa ſuper largè ora rigabant:
Sed quia ſacrato cum gurgite fuſus abundè
Spiritus hic veteris tollit contagia culpæ
Luſtrati in Chriſti cùm nomine tingimur vnda,
Atq; iterum ſuperas in aqua generamur ad auras,
Et Verbo accipimus Flatus cœleſtia dona,
Qui ponè accinctus præſtò eſt ad flumina ſacra
Colluſtrans ſuper ætherio cum fomite amoris:
Vt cùm Iordanis medio ſtat Chriſtus in alueo,
Verba facit Pater, & Flatus ſuper imminet alis
Delapſus cœlo blandæ de more columbæ.
Atq; vbicunq; ſonat vox incorrupta ſalutis:
Tunc ſimul effundit cum lympha in credula corda
Flamen; & hoc patrij Chriſtus dat pignus amoris.
Saltem hic primitijs locus eſt de Flamine ſacro,
At cœlo decimas, partemq; trahemus ab illo.
Nam meſſis prima, & deitatis perpetuus fons.
In te Chriſte manet, tu ſummus in ordine noſtro es,
Et tu frena tenes mortali in gente, locoq;
Præcipuo es poſitus, totoq; es vertice ſuprà,
Præq; tuis ſine menſura conſortibus vnctus
Magna indulta tenes, & iura immunia rerum,
Tanquam vera Dei ſoboles, & viuida imago,
Noſtra tuo quanquam luſtrentur Flamine corda,

Atq;

Atq; oleo partim perfuſi vngamur eodem.
In te tota habitat penitus natura parentis:
Nobis, quos pater in ſortem ſuccedere paſſus,
Cedit pàrs aliqua, & tantùm commercia dantur.
At patris hoc, Natiq; ſimul ſpirabile numen
Funditur in Solymæ ciues, & tecta Dauidis;
Nempè omnes ſuper, & quæcunq; in ſorte tenentur,
Nec ius hoc ſolis cedit, ne fingite quæſo,
Luſtratis ritu ſacrorum ad munia templi:
Vir, puer, antè Deum nullo diſcrimine habentur,
Qui ſe lege tenent ſcripturæ, & cœlitus orant
Numinis auxilium, ſtudyſq; operantur honeſtis.
Nanq; Dei domus eſt, gens omnis dedita Chriſto,
Inq; noua Solyma ſedem tenet. Illa supernè
Venit, & inde initum, & generis primordia ducit.
Ceu vates olim Ezechiel, diuuſq; Ioannes
Picturæ in morem ſenſa hæc arcana notarunt.
Sed qui iuſſa negat diuina admittere in aures,
Remq; leuem ducit rerum addita ſigna ſacrarum,
Nec ſocium ſe addit, nec ciuem in gente fatetur,
Quæ ritè exequitur doctrinam, & ſacra miniſtrat:
Non Chriſti, ſanctiue capax eſt Flaminis iſte.
Nunc age & expediam, quem tandem effuſus ad
Spiritus hic noſtris animis ſe miſceat in us. (vſum
Gratia ei nomen dedit, atq; hinc ſpiritus ille eſt
Spiritui teſtis noſtro, ſignumq; receptæ
Iuſtitiæ, & pacis ſuperûm inuiolabile pignus,

Quòdq;

Quòdq́ genus noſtrũ iam diuûm à ſtirpe trahamus,
Conſortes Chriſto facti, & diuina propago.
Solus & hic ægris doctrinam hanc mentibus affert,
Iuſtitiam quòd ſola fides, veniamq́ reatus
Vltrò conſequitur, ſi Chriſti à ſanguine pendet.
Dat veniam, expellitq́ animo curasq́, metusq́,
Et ſpe nutantes, huius præſentia firmat
Confeſtim, inq́ locum collapſa repentè reponit,
Tunc animi incipiunt cœli ſentire vigorem,
Atq́ voluptates, diosq́ in pectore motus.
Hic primum ſpecimen vitæ immortalis adumbrat,
Dum viresq́ nouas, occultaq́ pabula mentes
Concipiunt per eum, & mox vno in amore caleſcunt
Doctrinæ, iunctiq́ feruntur paſsibus æquis.
Quin & votorum moderator, & arbiter ille eſt
Vsq́ docens vero colere almum Numen honore,
Et rectos cultus, & iuſſa faceſſere ſacra:
Votaq́ componit noſtra, & ſua propria miſcet.
Ut pueri os tenerum mater blandita figurat.
Informans manibusq́ manus, & vocibus ora:
Sic gemit, effunditq́ ſimul ſuſpiria, & vltrò
Noſtro oneri ſubit, & noſtris à partibus hæret,
Quando foro cœli dicenda eſt cauſa citatis.
Sæpè animis fracti præſenti in limine mortis
Deficimus, nec vox, gemitusúe è corde ſequuntur:
Ille aſtat, noſtramq́ vicem gerit, & pia pandit
Brachia, & ingentes gemitus ad ſydera tollit

Expoſcens

Expoſcens pacem ſuperos, & numina placans.
Palantes quin ille etiam per munia Verbi
Ad te Chriſte refert, nosq́; in tua vulnera, apertumq́;
In latus adducit, teq́; exhibet ipſe videndum,
Quem trabe ſuffixum fiſſæ ſub imagine rupis
Iudæi ferro terebrabant; quem pater altè,
Ex cupro facti in morem, ſuſpenderat anguis.
Nam tu noſtra ſalus, medicinaq́; certa laborum
In te ſi fidente animo fixa ora tenemus
Conuerſi, atq; oculis te Chriſte fidelibus vnum
Contuimur: quales loca per deſerta videbant
Serpentem erectum ſerpentum morſibus icti.
Nam veluti Chriſtum monſtrabat in angue rubenti
Moſes dux populi: ſic nos & vulnera, & ipſum
Sanguine rorantem aſpicimus, cùm ſpiritus ægris
Monſtrat eum, fidoq́; iubet ſupponere cordi.
Hæc hodiè verſanda animis, figendaq́; menti
Omnibus, in ſacra qui merſi gurgitis vnda
More ſacerdotum perfuſi Flamine ſancto,
Diuinoq́; oleo, tibi nomina Chriſte dederunt.
Dent operam, ne fortè labet mens recta, fidesq́;,
Et ſanctum expellant polluto è pectore Flatum,
Cui ſubeat malus ille loco, qui triſtibus auſis
In præceps homines agit, & ſubmergit Auerno.
Cùm tamen officio Verbi ſua munia tractet
Spiritus effuſus cœlis in corda piorum;
Doctores Verbi merito afficiatis honore,

Teſtati gratos animos pro munere tanto,
Et ſtipis æra piæ, pro vt cuiq; eſt copia, ad aram
Officij memores deponite, munera parua
Pro merito ingenti, cùm Spiritus aurea dona,
Ex Arabo confecta auro, cæleſtia dona,
In medium vobis vocali in munere Verbi
Offerat, & cælo rem vobis augeat alto.

IN DIE VISITATIONIS MARIAE.

VT quondam teneris ouium qui fœtibus auctus
Quos mater ſilice in nuda connixa reliquit,
Cùm primùm è longo per luſtra virentia paſtor
Balatum accepit, feruens tum accurrit, & agnum
Ipſe humeris ſubit, aut gremio, (mirabile viſu,)
Inſertat de more, & campis geſtat apertis:
Sic rex ille deûm tam cæco in turbine rerum,
Fataleſq; inter pœnas, regumq; ruinas
Præcipites, dum penè ſalus abſumta, neq; vſquam
Apparet ſpes vlla: tamen ſua ſacra ferentes,
Quiq; colunt artes, ceruici imponit, & vlnis
Geſtat ouans, ſanctáq; fouet præcordia flamma,
Ne qua inter ceptas operas in numine Chriſti
Hoſtilis rabies abſumat, & agmina turbet.
Et niſi vis ſuperûm obſiſtat crudelibus auſis,
Dũ mouet arma Getes, et Moſcus ab axe propinquat,
Concilium

Conciliumq́; parat Romanus cogere præſul,
Et toties ſancto fallentes nomine fratrum
Illyrici fratres audent intendere litem,
Quippè ferant rapidi ſecum, ſpargantq́; per auras
Adq; vnum referunt omnes ſua tela Philippum:
Cætum qui mente eſt meliori, ac præditus arte.
Et tamen hic paruus contra magnum agmen Auerni
Obnixus ſtetit, atq; extrema per omnia vitam
Duxit, eo ducente polum qui verſat, & Orbem.
Aſpice qualis erat, quamq́; illo ignobilis æuo,
Cùm pater intactæ conceptum virginis aluo
Promiſſum exhibuit natum, qui morte referret
Res hominum in melius, quas olim amiſerat Adam.
Pauci quippe boni ſancta in ſtatione manebant,
Cum conſorte thori templi qui munus obibat
Sacharias æui maturus, & innuba mater,
Creditus & vulgò conſors, atq; Anna futuri
Conſcia, paſtoresq́; alij, & ſine nomine vulgus:
Cùm Galilæa premens Herodes arua teneret
Intereà, Solymaq́; ſederet in vrbe Pilatus,
Quiq́; ſacris præſunt, ſub relligionis auitæ
Nomine, iura darent illic, cultusq́; ſacrorum
Iactarent ſoli: & ſoli ditione tenerent
Templa, domosq́; Dei: nec longum tempus, & ipſum
Sachariam, quia voce palàm de virgine natum
Eſſe fatebatur regem, autoremq́; ſalutis,
Clàm ferro incautum ſuperant, truncantq́; per aras.
Quid

Quid memorem, Solymam cùm cœlica iuſſa per oram
Vulgaret fama, Nili dux ecce ſuperbo
Imperio, & ſæuis Lamyrus circundatus armis
Fortè pedem bello referens, Galilæa per arua
Signa tulit, latosq; obſedit milite campos,
Et ter dena virûm demiſit millia letho
Per fora, perq; vias, prohibet nec ſaxeus hoſtes
Agger murorum, ſed inundant ſanguine foſſæ.
Mortua quin etiam præbebat corpora viuis,
Tormenti genus, & captos conuertere morſus
In conſanguineos penuria adegit edendi,
Cùm ſecti in partes ſanie, taboq; fluebant:
Carceribus clauſos longa ſic morte necabat.
Nec ſatis hoc, ne quid tanto in diſcrimine abeſſet,
Herodes Syrias exhauſit ciuibus vrbes
In ſua crudeli conuerſus viſcera dextra.
Hinc Parthus premit, & Solymam circumſonat ar-
Et gens illa quidem ſæuis aſſueta rapinis: (mis,
Hinc Syrus, atq; niger ſeptemplicis accola Nili
Prædam exercebant ferro, cædemq; parabant.
Sæpè puer caros fratres, iuxtaq; parentes
Alterum in alterius mactatos ſanguine vidit.
Sæpè ferox miles natos ante ora parentum
Perculit, effractoq; infecit tela cerebro.
Hos inter motus, atq; hæc diſcrimina rerum,
Abiades Vates cum ſtirpe, & gente propinqua,
Et quicunq; fidem promiſſo in Semine habebant,

Seruat

Seruati à furijs regum, euaſêre ruinis,
Et pacem orabant ſuperos, finemq́ malorum.

Nunc ô nunc dubijs etiam ne defice rebus
Nate Dei, atq́ aliquos ſerua tua ritè profeſſos
Verba, viamq́ doce quò te non more nefando,
Non pecudum fibris, ſed mente, fideq́ colamus.
Tempore in hoc qui nos caſus, quæ bella ſequantur,
Christe vides; ſine relliquias ſupereſſe, nec omnia
Euerti penitus doctrinæ ſemina puræ,
Cum quibus æternum terris tibi colligis agmen,
Cui mentis bona ſumma tuæ largiris Olympo,
Et tecum hæredem regni facis eſſe paterni.

At prohibes, noſtras ne turpis inertia mentes
Officij immemores frangat, ſoluatq́ veterno:
Et tua vis noſtris penitus ſeſe ingerit auſis,
Cùm iuſſum exequimur vigili in ſtatione laborem
Pro ſe quiſq́ viri, ſtudijsq́ operamur honeſtis.
Vtq́ propagari totum doctrina per Orbem
Poßit, & inſtitui mentes in munere Verbi,
Linguarumq́ modis, Verbi quarum indiget vſus:
Nunc ad cenſuram ſolito de more vocamus,
Artis, & ingenij ſpecimen qui ferre parati
Eſtis, & à ſtudijs veram deducere laudem.
Quicquid in arte mea poßum promittere curæ,
Id totum in veſtro gremio eſt; abſiſtite tantùm
Officio indubitare meo: ſic ſpiritus adſit

Cœlicus, & noſtras confirmet numine mentes
Vt noſter tibi Chriſte labor, tibi ſeruiat vnj.

IN FESTO MICHAELIS ARCHANGELI.

SI quis inornatis traducere moribus æuum
Non veritus, factis turbauit commoda vitæ:
Iam frenum ſceleri inijciat, caſtisq́ dicatam
Spiritibus lucem, fœdis ne polluat auſis.
Non facilè eſt aliquem polluta viuere mente,
Recrudeſcit enim vulnus, viuitq́ ſub alto
Pectore, nec ſceleri requies datur vlla patrato.
Ergò agite, & ſi ſpem vetitis habuiſtis in auſis,
Ponite: in autorem facinus plerunq́ redundat,
Nec veſtris arcete animis, animiſuè piorum
Spiramen turbate ſacrum, penitusq́ fugate
Cuſtodes hominum caſtos, flatusq́ miniſtros.
Eſt bonitas celebranda Dei, quòd pura creauit
Agmina, in excubias hominum, famulosq́ piorum
Eſſè dedit lateri adiunctos, qui publica vitæ
Commoda, priuatimq́ tegant ſua munera cuiq́,
Auxilioq́ leuent, & victis robora præſtent.
Et par ipſe Deo MICHAEL, qui miſſus Olympo
Conſilij interpres magni, iam in vota vocandus,
Doctrinæ vt ſedes aliquas, atq́ hoſpita tecta
Muniat alituum auxilio, cuſtodia qualis

Flammanti

Flammanti vallo doctam protexerat vrbem
Diſcentem præcepta Dei, Vatesq́; fouentem:
Sic noſtras penitus res, atq; obnoxia multis
Corpora noſtra malis, & ſalua, atq́; integra præſtet,
Vimq́; dolosq́; premat, quos paßim immunda malorũ
Agmina ſpirituum miſcent, lethumq́; minantur.
Omnibus vnum olim genus, at non omnibus vnus
Manſit amor recti, quos vt ſemel agmine facto
Defeciſſe videt, ſtudijsq́; inſurgere Chriſto:
Tum pater omnipotens immani turbine adegit
Præcipites cælo, fundoq́; excepit in imo
Tartareus Phlegeton, pœnisq́; ingentibus illic
Vrgentur, ſontesq́; animas in ſæcula torquent.
Omnibus æquè eadem natura, eademq́; creatis
Conditio, ſed quæ ſpacij ſub fine tenetur.
Hos genitor finxit nullo de ſemine rerum
Corporeæ expertes molis, ſimul indidit illis
Notitias rerum varias, legisq́; ſacratæ.
At reprobi ſeſe nulla cogente ruina
Auertêre Deo, contemto numine Chriſti.
Idcircò abiecti in pœnas, ſine fine furorem
Exercent, odiumq́; Dei, quibus impia facta,
Cædesq́;, inſidiæq́;, & noxia crimina cordi,
Atq́; odio ſtimulante Dei, tot dura per orbem
Imperia exercent, alijsq́; in triſtia facta
Dant animos; feruent cædes, & prona libido,
Horrendusq́; furor, vanæq́; oratio linguæ.

Nec quicquam factis è talibus emolumenti
Accipiunt ipſi, ſed ſic furor improbus vrget
Afficere ingenti probro Natumq́, Patremq́:
Nec fatis, iuſsiſue Dei, ſed crimina tanta
Permiſſu exercent, quàm latè his terminus hæret.
At contrà manſere boni quo fine crearat
Hos genitor, iuſsis ſubiecti, & obire parati
Obſequia, immotæ ſeruantes fœdera pacis;
Eſt illis curæ pudor, & ſententia verax.
Ergò bono addictos æternùm effecit, & ipſis
Attribuit mentem firmam, ignaramq́ ruinæ,
Vt viuant in amore Dei, fatisq́ moueri
Neſcirent, quibus ipſe Deus ſe lumine largo
Conſpicuum præbet, nec fas diſcedere ab illo.
Sed quamuis longè donis ingentibus aucti
Suprà hominum euecti naturam luce fruantur
Perpetua, & ſummo perfecti fine ferantur:
Stant tamen accincti nobis, & munera præſtant
Vsq́ pijs, ſanctasq́ audent ſubmittere mentes
Nobis, quos ſanctos alieno ex munere cenſet
Omnipotens, qui prima bonis exordia tantùm
Fecimus, & quos ipſe Deus de crimine lapſos
Reſtituit, quicunq́ Fide te Chriſte prebendunt,
Nec dum perfecto vitæ potiuntur honore.
Quare agite, & quoniam tali in ſtatione locati
Alituum cœtus, cura, officijsq́ ſequantur
Nos mortale genus: certè hoc in turbine rerum

Quàm

Quàm ſit opus tutore pijs, manifeſtius exit,
Quàm ſit opus verbis: Quæ ſit fortuna videtis
Vndiq; quæ vires Satanæ, quæ bella per Orbem.
Ne tantum, ne nos ſpoliet cuſtodibus illis,
Exorate Deum, crebriſq; exercita votis
Pectora tàm ſanctos genios in fœdera amoris
Alliciant, ſi ritè Deo ſua munera præſtant,
Si leges ſequitur reuerentia, ſi labor ardens
Doctrinam, & caſti mores ſi deniq; vitam.
Vtq; palàm conſtet pro tantis gratia donis,
Munere quæ Verbi ſpargit vox ſancta docentûm:
Nunc memores offerte pij pietatis honores
Ære dato, & largis cumulate altaria donis:
Vtq; Deus noſtris regionibus arceat hoſtes,
Corruptaſq; auras cœli, morboſq;, famemq;
Propellat gens clara poli, gens dedita caſtis
Officijs, moneo, caſtis incumbite votis,
Præcipuè cùm tot bellorum incendia paſſim
Concutiunt Orbem, confeſſaq; Gallia veram
Ritè fidem, multo ſpectacula ſanguine cernit.
Dij placidi ſeruate pios, neu vera fatiſcat
Relligio, & mendax ſubeat doctrina Bäalis.

IN NATALEM DOMINI.

ELapſus vetus eſt, & iam nouus incipit annus
Cùm puero naſcente nouo, qui triſte piaret

Adami veteris crimen, precioq; redemtos
Sanguinis, antiquos iterum reuocaret ad ortus
Ex quo decidimus decepti fraude colubri.
Nunc dum tempus adhuc mutandis moribus, & dum
Inſuper indulget ſuperûm clementia, nec iam
Immiſsis latè furor æſtuat omnis habenis,
(Quanquam, ô, ni ſuperi ſcirent quoq; parcere iniquis,
Iam lue, iam ferro abſumti, & crudelibus armis
Funditus occidimus, nec haberet vita regreſſus,)
Linquamus veteres mores, vitæq; prioris
Cùm iam pertæſum eſt, rectumq;, bonumq; colamus
Corde nouo, quo deinde nouus puer aduena terris
Per fidei lucem ſibi pura ſedilia figat,
Quæ colat, & cum patre ſuo, flatuq; ſacrato
Æternis habitet ſeclis, nec ſola relinquat,
Lucis egena ſuæ, ſacriq; expertia flatus.
O noua progenies, ſummo quæ miſſa parente
Veniſti in terras infectas crimine auito,
Vt ſancta carne, & ſancto cum ſanguine luſtres,
Supremùm aduenias iterum precor, & noua finge
Omnia, quæ vetera, & iam olim collapſa fatiſcunt:
Effice vt inde noui mundo illuceſcere ſoles
Incipiant, penituſq; annorum intercidat omnis
Ordo vetus, veniantq; nouo noua ſingula ſeclo.
Ne veteri, ne vos mortales credite mundo,
Quippe vbi nulla ſuper pietas, non iura, fideſq;,
Quocunq; error agit quenq;, & maleſuada cupido,

(In

(In facinus iuraſſe putes) ita turbine cæco
Fertur in abruptum, nec crimine viuitur vno,
Et multos ſcelerum delectat fama ſuorum,
Nec quæ circunſtet denſiſſima turba malorum,
Cæca mente vident, quàm ſæuus, & efferus hoſtis
Vſq; ab hyperboreis progreſſus milite campis
Ceruici immineat noſtro: quàm deinde timendum
Ne mala vicini noceant contagia belli,
Quàm cœli infecto tractu, & qua viuimus aura
Certa lues inſtet nobis, quàm lethifer annus
Arboribusq;, ſatisq;, & quàm corrupta per agros
Paſcua dent ſtragem pecori: ſtat triſtis arator,
Omnis & agricola, atq; animalia tabe recepta
Strata vijs animam deponunt omnibus ægram.
At quotus afficitur damnis, veniamq; precatur?
Securi pœnæq;, Deiq; peregimus æuum
Sorde voluptatis merſi, vinoq; ſepulti.
At non pœna ſepulta iacet: ſuccincta flagello
Inſonat, inq; dies auidum caput altius effert,
Et miſeranda lues ſtygijs emiſſa cauernis
Multa virûm triſti demittit corpora letho,
Sanguineusq; furit Mauors crepitantibus armis,
Non ipſi inter ſe populi, non turba potentum
Pace agitant æuum, ſed ruptis legibus arma,
Arma fremunt latè, faciesq; miſerrima rerum eſt.
Dij placidi ſeruate pios; monumenta ſuperſint
Chriſte tuæ gentis, penitùs ne gloria, & ingens
 Fama

Fama tua, & verbi lux victa fatiſcat in Orbe,
Quod te per patrem, & patris ſpirabile numen,
Per te, per tenera obteſtor cunabula, & ipſa
Vulnera, & exceptas inſonti in corpore plagas.
Nanq; tuis precibus genitor nil denegat vnquam,
Ante illum effuſus quoniam pro gente rogando
Christe tua, ſolus patriæ obluctatus es iræ,
Supplicia in te vnum vertens, ſæuumq; furorem,
Dum tandem in fragiles humilem te colligis artus,
Vt noſtri generis conſors, & ſanguinis eſſes.
Pro quibus, & cœli chorus omnis, & agmina latè
Cultorum in terris hodie te Chriſte, tuumq;
Natalem celebrant, & ouantes gutture claro
Lætitia, plauſuq; diem, cantuq; frequentant.
Ipſa adeò rerum ſeries, & conſonus ordo
Naturæ rerum, ſtabili quo ſorte feruntur
Omnia, & obſeruant ſua res diſcrimina quæq;,
Et cùm ſuſpicimus magni cœleſtia mundi
Templa ſuper, ſtellisq; micantibus æthera fixum,
Affirmare animos ſubigunt, non impete cæco,
Fortuitoq;, vagoq;, inconſultoq; tenore
Molem confluxiſſe Orbis, temereq; coiſſe.
Ipſaq; notities naſcens in origine prima
Non dubiam facit inde fidem mortalibus ægris
Eſſe Deum, qui conſilio tot ſemina rerum
Ordine quæq; ſuo, & ſapienti mente creauit,
Iuſticia pollens, nec fallax ore, nec auſis,

Liberè agens, vindex ſcelerum, & dans præmia re-
Immundam exoſus labem, caſtiſſimus vnus. (ctis,
Motus ob hanc cauſſam, cùm primis condidit om-
Naturam rerum, quò toti proderet Orbi (nem
Naturāq; , animumq; pium, & bona propria mentis
Ipſe creaturis ſenſu; & ratione ſagaci
Inſtructis, genitor faceret communia ſecum,
Vnde celebrari queat, agnoſciq; viciſſim.
Ergò vt eum paſſim propiori lumine mentis
Aſpicerent homines: tandem ſe prodidit illis
Voce ſua, & numen teſtans haud omine falſo
Iſacidûm genus à Pharia tellure reduxit,
Atq; anima caſſos etiam reuocauit ad auras.
His motæ ſignis, firmatæ & talibus auſis
Exactum mentes habeant, quòd ſancta per Orbem
Agmina conſcribat vocali in munere Verbi
Ipſe pater ſuperûm, nullo quæ fine per æuum
Ipſum laude vehent, atq; ipſius acta ſonabunt:
Quòdq; ſonans latè in terris doctrina ſalutis
Vera Dei veri proponat dicta, nec vſquam
Labilis immoto verax fundamine perſtet:
Conſilioq; patris demiſſam cœlitus Orbi
Progeniem credant, cuius de ſanguine fuſo
Non alio vllius precio, iam labe piata,
Placatoq; furore Dei, proiecta hominum gens
Rurſus in antiqui referatur fœdera amoris,
Tutelamq; Dei, rurſum vt commertia vitæ

Contraheret, propiorq́ Dei ſe luce teneret.
Hic operis tanti finis, manifeſtaq́ cauſſa eſt,
Quam dum perpendunt animi, ſecumq́ voluttant,
Horribiles iras diſcant in crimina noſtra,
Quas non placari voluit, niſi ſanguine nati
Vnigenæ genitor: dehinc è regione viciſsim
Aſpice diuini monumentum, & pignus amoris
Ergà hominum mortale genus, quibus hoſtia talis
Obtigerit, noſtram propter mactata ſalutem,
Cuius ob officium, preciumq́ in morte ſolutum
Denuò in antiqui attraheret conſortia amoris. (gens
Hæc duo cùm verſant homines: metus occupat in-
Omnem animum terrore Dei, ſpirantis anhelas
Irarum flammas, & murmura ſæua mouentis.
Nec minus in mentem diuini vt venit amoris,
Rurſùm animi exultant plauſu, lætiq́ viciſsim
Hæc bona ſuſcipiunt, & figunt oſcula nato,
Natum amplectuntur, veniamq́ precantur ab illo.
Qui medias partes agit inter nosq́, Deumq́,
Mentem, conſiliumq́ ſuum cui credidit vni
Æternus pater, atq́ vni ſua ſenſa retexit.
O genus infelix humanum, ô ferrea corda,
Quis dignè afficitur curis pro munere tanto?
At velut aligerûm turmæ rutilantibus alis
Natali ſub luce tua dulciſsime Chriſte
Tractibus aërijs volitant, & carmina dictant,
Cuſtodesq́ monent ouium ſub nocte ſerena

Tendere

Tendere iter Chriſti tenera ad cunabula, & ipſum
Viſere compoſitum tardi ad præſepia aſelli,
Ruricolæq́; bouis, pannis, fænoq́; volutum,
Et ſtellæ docuêre viam, procerumq́; regebant
Greſſus, qui ſeſe extremo Oriente mouebant
Hunc regem vt peterent, & proſequerentur honore:
Haud ſecus hi qui ſacra ferunt, præſuntue iuuentæ,
Aligerûm exemplo Chriſto pia carmina dictent,
Et tenerum adducant cœtum ad cunabula Chriſti,
Aſtent, aſpiciantq́; animis duo fœdera ſtirpis
Diuerſæ penitus, ſed quæ ſic venit in vnum
Mirando nexu, quem nulla humana capit mens.
Fas igitur celebrare Deum, & perſoluere grates,
Quanquam hominum ſupra ſenſum eſt ſapientia talis
Diſsita conſilij tanti, longéque remota,
Quam quondam exemti mortali ſorte, tuentes
Clara luce Deum, ſuperûm diſcemus ab ore:
Prima rudimenta, atq; apices attingere primos
Mortales voluit genitor tamen, atq; neceſſe eſt
Partem operis tanti guſtare in limine primo.
Ergò humilis quanq̃, nec par his rebus, & auſis
Cura ſagax animi eſt, tamen eſt accepta parenti
Æthereo, ſi mente iterumq́;, iterumq́; reuoluunt
Quis veniat Deus ille, Deus qui virgine natus,
Cur patris hic Verbum, cur patris imago vocetur,
Cur tuus Immanuel, qui tecum gaudeat eſſe
Nuſquam abiens, ſemperq́; ſuo tibi flamine præſens,
Quam

Quàm res mira homini, quàm nullius obuia menti
Naturæ geminæ perſona nexus in vna.
Nunc quo fine Deus cœli deſcendit ab arce,
Expoſui dictis, patrias vt ſcilicet iras
Placaret bonus, atq; iugis abſolueret Orci
Detentum mortale genus: nunc percipe porrò
Quid Patrem impulerit gnatum demittere Olympo,
Et vita inſonti mulctatum ſubdere morti.
Cùm ſimul & iuſtus vindex habeatur, & idem
Immenſo noſtri clemens ab amore liqueſcat:
Sic miti pater indulget placatus amori
Dum miſeros recipit, tamen vt non concidat vſquam
Iuſtitiæ rigor ille ſuæ, diuinaq; norma.
Ergò iuſtitia decernens, atq; fauore,
Temperat illud opus, quo nos in fœdera prima
Suſcipit, in partemq; locat ſtellantis Olympi.
Legis id officium eſt; ni morem quiſq; geramus,
In foribus pœna eſt, quam nos haurire merentes
Continuò ſubigit. Sed poſtquam deuia pœna
Vertitur à nobis in ſummi patris alumnum:
Ecce ſatis factum eſt legi, nec iam amplius vllum
Supplicium infandum luimus, qui munera Chriſti
Parta cruore ſuo fidenti corde tenemus.
Nec temerè pœnam abijceret, ſi ſanguine Nati
Vnigenæ, inſontis, non compenſata fuiſſet.
Tum primùm mites animos, mentemq; benignam
In genus accepit noſtrum: clementia patris
Tum

Tum demum in lapſos homines manifeſta retecta eſt.
Sed cur diſsimiles ſpecies, diuerſaq́ texta
Naturæ geminæ pariter venêre ſub vnum?
Dum commiſſa lues homines addixerat Orco,
Fas aliquem pœnas humana in gente ſubire.
Vtq́ æquè pretij valor his reſpondeat auſis:
Maieſtas æterna, triplex, decreta ferebat
Natus vt omnipotens ex omnipotente parente
Supplicia hauriret, pœnamq́ exolueret omnem.
Nec quiſquam alituûm ex numero, reliquiſue creatis
Iram ferre Patris poterat, nec ſoluier antè
In nihilum ſubitò, niſi cui diuina vigeret
Maieſtas, carnis cum fœdere ducta ſub vnum,
Non auidam ſuperare necem, non reddere vitæ
Munera perpetuæ, nec liuida colla veneno
Serpentis terere, & crudelibus exuere armis,
Ni medio veniſſet, & hos ſufferre labores
Vltrò maluerat, ſeſeq́ opponere letho.
O quanto, & quali genitor nos ſummus amore
Proſequitur, poſtquam genitali in origine noſtra
Fuderat in mentes inſtar, ſpeciemq́ bonorum
Quæ ſplendent in mente ſua, quibus emicat ipſe
Iuſtitiæ radijs, ſapienti & lumine mentis.
Ergò adeò ſimiles ipſi, complexus amore eſt:
Iuſtitiæ decor, & noſtræ ſapientia mentis
Mentem, animumq́ Dei mira dulcedine mulſit,
Affectusq́ pares ſpirabant mutuò vtrinq́.

Cùmq́

Cumq́ amiſſa forent lapſu bona tanta nefando,
Magnus amor Nati confeſtim affulſit, vt ægris
Depoſcit veniam patria ad veſtigia ſtratus,
Et patriæ ſeſe pro nobis obijcit iræ.
Atq́ vbi mortali generi iam gratia parta,
Et patris extinctus furor eſt, & flamma reſedit
Victa prece, & ſancto deleta impunè cruore:
Rurſus in hac, quanquam fragilis compagine maſſæ,
Cum nato Pater, atq́ amborum copula Flatus
Viui habitant, gaudentq́ illa ſe ſede tenere,
Atq́ in amicitiæ nos priſtina iura reponunt.
Nec generi humano munus dare maius habebat,
Quàm quód in hos animos transfuſus Spiritus ardet,
Spiritus ille ſacer, conſors Natiq́, Patriſq́,
Lætitiamq́ in corde nouam, lucemq́ ſerenam,
Et tenebras abſtergentem, largo excitat igne,
Et vincli in morem medius natoq́, patriq́
Aſſociat noſtræ languentia viſcera maſſæ.
At quibus officijs tàm ſancta, atq́ ardua dona
Aſſequimur, quóue iſta modo pater altus Olympi
Diuidit in medium, nobiſq́ accommodat vſu?
Nempè ſono audito Verbi, quod cordibus ægris
Commiſſum ob crimen, veniam denunciat vltrò
Humanó generi partam pro ſanguine Chriſti.
Ergò huius meriti fiducia, nixa cruori
Chriſte tuo, extimulat mentes ad vota, preceſq́,
Lætitiamq́ in corde parit, ceu reſficit imber

Exuſtos

Exuſtos agros iam tum torrentibus auris.
Hic modus eſt, atq; hæc compendia vera ſalutis,
Quæ generi humano genitor patefecit Olympo.
Ergò operam ſtudijs demus, votiſq; petamus
Seruari has terras veræ pietatis alumnas,
Neu fera barbaries, & ne Mahometica peſtis
Contemtrix Chriſti perſonæ, & muneris huius
Ingruat his terris, & Verbi euertat honorem,
Quo propè ſublato ſolatia nulla ſuperſint.
Quare agite, in melius veſtros conuertite mores,
Neu factis turbate feris ſua vota piorum,
Vltrices aſtant furiæ, torrentq; flagellis
Aſsiduè, & pœnæ non ipſa in morte quieſcunt.
Vtq; miniſterio digni præſtentur honores,
Per quod tanta Deus nobis bona cœlitus offert:
Quiſq; ſuum munus, pro vt ſors, & copia cuiq; eſt,
Exhibeat, ſanctamq; volens deponat ad ARAM.

DIVO MAXIMILIANO, IMPERATORI DESIGNATO, Dresdam ingredienti.

Qualiter ad Libani prærupta cacumina montis
Delapſi rores Hermonis vertice in altum
Siona, & poſitum vicino in colle Moriam,
(Quem ſuper extructa eſt Ieſſæi regia vatis,
Et quâ diues opum Salomon eduxit in auras

Templum

Templũ auguſtum, ingens, centũ ſublime columnis,)
Pinguia ſufficiunt ſubiectis pabula terris,
Tabenteſq; herbas recreant in valle reducta:
Haud aliter proceres ſuprema in ſede locati,
Arboribus Libani ſimiles, & montibus æqui,
Fundamenti inſtar, muriq; per oppida aheni,
Inſignes fama antè alios, & honoribus aucti
Illuſtri in ſolio, quia ſit diuinitus illis
Ingenium, & rerum fato prudentia maior,
Quàm quibus in plano poſitis natura creatrix
Seruitij impoſuit leges, humileſq; recondit,
Illi ergò inter ſe concordia fœdera vitæ
Cùm feriunt, ſtudijſq; trahunt conſortibus æuum,
Nec dubitant præluſtre ſuum decus, altaq; dona
Partiri in medium ſubiectis collibus infrà
Quos ditione tenent, & pinguia pabula roris,
Vitam, fortunaſq; ſuas, & commoda regni
Sufficere affectis populis, ſuccumq; ſalubrem
Deriuare in agros, & diæ ſemina pacis
Conſerere imperio, ſanctaſq; per oppida leges
Condere, & antiqua populum in pietate tueri:
Haud alios referunt vſus, quàm roſidus humor
Alto monte cadens, altiue crepidine ſaxi
Exiguum in collem, ſteriles vnde almus in herbas
Succus eat, feſſæq; ſiti incrementa per illum
Pinguia concipiant, lætaq;, in lumina Solis
Proueniant, ſemperq; auris redolentibus halent.

O fortu-

O fortunatæ gentes Saxonide terra,
Et quas diues alit fœcundis Myſia venis,
Queis dono ſuperûm ingenti duo lumina primos
Romani imperij, congreſſos mentibus æquis
Aſpectare datur; te ſcilicet Æmiliane
Maxime, teq́ Auguſte virisq́, opibusq́ potentem.
Dijs equidem auſpicibus, ſtabiliq́ ita numine Chriſti
Has illum ad terras curſus tenuiſſe putandum eſt.
Quam nunc hanc oram aſpicies, quæ ſurgere regna
Conſenſu tali, regum auxiliaribus armis?
Quantis ſeſe animis, quanta ſpe deniq́ in hoſtes
Attollet pia relligio, cùm Maximus olim
Excipiet patrijs gentem Æmilianus habenis
Nulli poſterior pietatis laude, nec vlli
Virtute egregia magnorum indignus auorum,
Qui ſacra in melius referet, ſemperq́ fouebit
Germanos rerum dominos, gentemq́ fidelem.
Sancta Fides, rerumq́ frequens vſura ſacrarum
Omnibus in templis impunè, atq́ omnibus aris
Iura dabunt: fictæ facies, iniuſſaq́ ſacra
Tandem victa cadent ſine honore irriſa, diemq́
Permetuent, ſuruoq́ vlulabunt carcere Ditis.

Macte noua virtute, nouum decus addite feſſo
Imperio, quem cura manet fulcire labantis
Relligionis opus, quoq́ inclinata recumbit
Omnis doctrinæ ratio, & caput erigere audet
Fulta fauore tuo, meritiq́ accenſa tui ſpe.

Maxime Teutoniæ ductor, quo ſoſpite nunquam
Aut res Pannoniæ victas, aut regna videbit
Turca, nec externas curſu contendet in oras,
Cernis, vt acta metu iam nunc & Caſpia regna,
Riphæiq; tremunt montes, ne fuſus ad Iſtrum
Chriſticolûm cruor emergat iam rurſus, & olim
Cæſorum exoriens illic ex oſsibus vltor
Immineat, Geticoq; cruentet ſanguine riuos,
Atq; iterum ad bellum veniat Mauortius heros
Agmen agens equitum, & nigris conſpectus in armis
Mauricius, Scythiæ terror, dum fata ſinebant.
Hic tibi Saxoniæ populos, & fortia bello
Pectora, ſpectatamq; aduerſo Marte iuuentam
Iunxiſſet caſtris: ſi tantùm tempore tali
Seruaſſent pia fata virum patriæq;, tibiq;.
Ingredere ô felix ductor, cui ſceptra deûm rex
Tradit, vt in morem roris, qui Sole calente
Refficit arentes herbas, vireſq; miniſtrat,
Vrbeſq;, populoſq; iuues, & robore firmes
Iuſtitiæ, placidæq; propages fœdera pacis,
Et regnum exornes ſtudijs, & nectare puro
Ætherei verbi ciues, atq; oppida paſcas,
Quod te per patris obteſtor cœleſtis honorem.
Reſpice res regni miſeras, vera aſſere veri
Sacra Dei, qui cuncta licet teneatq;, regátue
Quæ cœlo, terráue vigent, hic partibus æquis
Diuidit imperium tamen, & cœleſtia regna,

Cognataſq; animas cœlo, dat munera nato.
At terram ingentem, cognataq; corpora terræ
Attribuit natis hominum, diuoſq; vocari
Maluit; his quoniam ceßit cuſtodia Verbi,
Hi ſunt inſtrumenta operum, per quæ Pater ipſe
Mortales cœtus regit, & dat iura per Orbem.
In te igitur populi ſpes inclinata recumbit
Augurio firmata bono, quando omnis ad vnum
Se recipit fauor, in te oculos, in te ora reflectunt
Vndiq;, & ipſe tuis tibi deditus ordo potentum
Auſpicijs fauet, & meritos gratatur honores.
Aſpice, quàm ſciſſa vadens Eccleſia palla
Aſtet, acerbà gemens, miſcens lacrymaſq; preceſq;
Vera Dei vt pietas ſuperet, lucemq; per auras
Spargat inoffenſam, & cœlo potiatur aperto,
Libera Pontificum imperijs, & carcere iniquo
Nec iam oppreſſa odijs, & aperto errore potentûm.
Hinc decus acquires nullis delebile ſeclis,
Vtilis effector cùm tanta exhauſeris acta,
Qualis cui dederat magnum Conſtantia nomen.
Hei mihi, quàm mentes ſapientûm, & regna te-
Ciuilis vitæ, tàm triſtis faſcinat error. (nentum
Illi, vbi digeſtam ſeriem, & compoſta tuentur
Ordine quæq; ſuo ciuili in munere vitæ:
Continuò has leges, diſtinctaq; fœdera regni
Mirantur, ſatiuſq; putant, vt turba ſacrorum
Acciperet leges digeſta ab imagine regni,

Eq́ꝫ vno pendens animis, quem cætera turba
Sacrorum expoſcat ſenſus, & ſemper ab vno
In dubijs reſponſa petat; cui maxima rerum,
Verborumq́ꝫ fides ſoli, & ſuprema poteſtas.
Ergò ſtatu in tali poſitos, cùm robore, & armis
Præmineant, multosq́ꝫ trahant in fœdera reges,
Eſſe Dei cœtum ſtatuunt, & partibus iiſdem
Coniuncti proceres hæreat, qui lumine honorum
Præſtant, & quibus eſt maior ſapientia menti.
Quin etiam ſi qui mentem ad meliora reflectunt
Admoniti, vertuntq́ꝫ ſtatu veſtigia ab iſto,
Hoſtem execrantur, deſertoremq́ꝫ ſacrorum
Perfidiæ inſimulant, facibus, ferroq́ꝫ ſequentes:
Ceu Phariſæa cohors odijs ſtimulata nefandis
Arguerat Chriſtum, defectoremq́ꝫ vocabat,
Criminis & macula ſocium damnabat eadem,
Qui deſerta ſacris implebat vocibus larua
Antè ferens greſſum doctrinæ in munere præco.
At verò doctrina Dei non forma, nec inſtar
Ciuilis vitæ eſt, ſed lectum in munere Verbi
Agmen habet ſub ſe, purè quod ſacra miniſtrat,
Et lege immota, Verbi fundamina ſeruat.
Quare agite, atq́ꝫ extrà Chriſti qui dicta feruntur,
Inſtituuntq́ꝫ alios cultus à legibus huius,
Aut, velut Ægypti populus cœleſtia verba
Artibus aptabat magicis, ſacriſq́ꝫ nefandis;
Sic Chriſti dicta, & rerum ſic ſigna ſacrarum

Fraudibus inuertunt, vt poſſint ampla tenere
Imperia, & vires opibus ſtabilire potentes:
Nō equidem, non membra hærent in corpore Chriſti,
Quandoquidē his Chriſtus capitis non inſtar habetur,
At ſuperûm à cœtu extorres, auerſa Deo gens,
Terrenumq́; caput colit, & ſacra ficta frequentat,
Et noua pro libitu ſancit decreta ſalutis,
Nec tua Chriſte animis præcepta fidelibus haurit,
Quem Pater è cælo commendat gentibus Orbis
Doctorem accipiant animis, & iuſſa faceſſant.
Hei fugite infandos cultus, mentitaq́; ſacra,
Et potius parete Deo, quàm regibus Orbis;
Illi ius animæ eſt, his tantùm in corpora terræ.
Hac vice diſtinxit primùm ſua regna creator,
Vt cæli imperium, cognataq́; pectora cælo
Mandaret nato: terram, & mortalia membra
Mortali de ſtirpe ſatis; quia germine in vno
Altera pars cæli ſumus, & pars altera terræ.
O reges, reges, vera hæc ſapientia demùm eſt,
Tutari auxilio, & ſeros tranſmittere ad annos
Verba Dei, & pura doctrina paſcere vulgus,
Ne tetra inficerent miſeras contagia mentes.
Vos, quibus eſt latè cuſtodia credita rerum,
His Deus aggreditur dictis: ſinite eſſe recluſa
Limina, portarumq́; ingentia pandite clauſtra
Regis ad ingreſſum, quem circùm plurima inumbrat
Gloria, & inſignem media inter millia tollit.

Huc agite, huc, inquam, vigiles aduertite mentes,
Saluificam proferte fidem, lateq; ſonantem
Doctrinam gnati veſtris admittite regnis,
Neúe aduentantem hoſpitio prohibete fideli.
Tollite, ferte humeris gnatum, rapite oſcula, & ipſi
Ad nutum accincti famulas ſubmittite mentes
Lætitia, miſtoq; metu, geminisq; notata
In tabulis mandata Dei, defendite ferro,
Cuſtodes legum, monumentorumq; ſacrorum,
Ipſe adero, & vires ceptis ingentibus addam.
His equidem factis reges genus eſſe deorum
Auguror, & nomen ſancta virtute tueri.
Sic rex Aſſyriæ, cui pars in nomine prima
Dicta fuit Nebo, ſimulacri à nomine ſancto,
Edicto vetuit linguæ mala verba profanæ.
Egregiusq; Valens, & cui Conſtantia nomen
Indidit, & ſumtis acer Theodoſius armis,
Impia ſupplicijs inhibebant ſacra cruentis.
Quin etiam ne qua in morem reuocare valerent
Monſtra deûm, & fictos aris imponere cultus:
Templorum ingentes ſedes, arasq; ſuperbo
Inſtratas Oſtro, atq; Arabo nidore calentes
Excidio dedit, & fundo diſiecit ab imo.
Sic regni proceres, Hebrææ robora gentis,
Quos inter primi Ioſaphas, belloq; caducus
Ioſias, ſimul Aſa patrum ſacra impia tollens,
Et pius Ezechias, & forti pectore Iehu,

Auſi ſunt ſacra ficta ſuis detrudere ab aris.
Hoc moniti exemplo, qui rerum frena tenebant
Terreni proceres, ad pœnam, ad fata trahebant
Donati errorum ſocios, falſiq; tenaces.
Conſtantinus item foribus claudebat ahenis
Mentitis operata deis centum ardua templa,
Et ſacræ ſtipis æra pios vertebat ad vſus,
Quando alij reges odijs ſequerentur, & armis
Sacra tua, & nomen, regum rex optime Chriſte.
Cur ergò inflati proceres, quos infula cingit,
Corpora, fortunasq; alias ciuilibus audent
Aſſerere ordinibus, ſibi ius commune ſacrorum
Solis accipere, & magna ditione tenere:
Si pariter ſacræ ſortis, vitæq; bonorum
Cuſtodes ſtatuit reges rex altus Olympi,
Et Moſis tabulas mandauit vtrasq; tueri?
Rex Macedûm, pluresq; alij ciuilibus auſis
Laudàti meruêre decus, dum munia vitæ,
Resq; hominum externas curſu rexêre ſecundo.
At cultus firmare Dei, pia ſacra fouere,
Qualis in Ægypti viuens regione Ioſephus,
Quiq; apud Aßyrios cultus, aboleuit inanes,
Cùm præſente Dei nato videt omine claro
Illæſos pueros torpenti euadere flamma:
Hoc reges veſtrum officium ſe in cardine vertit,
Hinc & partus honos pietati, & commoda vitæ.
Impia cùm colerent erectas ſacra per aras

Ieroboas, vituli cultor, comitatus Achabo:
Ferro accinctus adeſt, & dextro numine Iehu,
Deturbatq; aras, & ſacra efficta ſub aris.
Ergò pro meritis tantis, pro talibus auſis,
Et magno precio, & magno eſt affectus honore.
An non Ezechias felici ſydere vitam
Egerat in terris? an non data regna ſecundis
Ioſias tenuit fatis, curſuq; beato?
Cùm celeri fato contrà, pœnisq; cruentis
Interiêre alij reges Samaridos oræ,
Segnius inſpicerent cùm ſacra exercita, & olim
Non purè peragi curarent munia templi.
Hinc Syriæ bis quinq; tribus natalibus oris
Abductæ ſenſêre iugum, nec tempore longo
Penè etiam extinctæ pœnam exoluêre merentes.
Quin ipſum imperium, quod ab ipſo numine habebat
Ingreſſum, & latè vires extenderat Orbi,
Funditus exciſum eſt, nulloq; in honore relictum,
Quandoquidem Salomon ſacris operatus iniquis
Numinibus fictis patrias fœdauerat aras.
Hinc bella aſsidua, & neruis reſoluta cadebat
Relligio diſiecta ſuis, & trita profani
Sub pedibus vulgi priſcum lugebat honorem.
Hæc tu animo repetens heroum exempla priorum;
Da puris operam ſacris, atq; effuge cautus
Quæ pietas ſimulata ſuis inuexerat aris
Nulla lege Dei, ſtimulante cupidine quæſtus.

Vt facere id poſsis: ſacra ſuper arte peritos
Delige, qui doctis olim per mutua dictis
Corrigerent, & in melius dilapſa referrent.
Tùm ludos aperi, quibus artes gnaua iuuentus
Imbibat, atq; operam linguarum impendat in vſus,
Queîs ſine nec diſci potuit, nec ritè doceri
Relligio, aut Chriſti proferri nomen in Orbe.
Quos tu hinc immenſos fructus, quæ ſurgere cernes
Imperij incrementa tui, quæ præmia laudis,
Teutona ſe quantis attollet natio rebus?
Iamdudum hanc de te capiunt ſpem Veſper, et Ortus,
Atq; indignatus iuga barbara Pannonus Iſter,
In te oculos vertit: Tantùm ne regia cœli
Te mundo inuideat iuſtis velocius annis.

IN PENTECOSTEN.

QVinquaginta ierant ſoles, quo tempore primùm
Poſteritas Iudæ Nili regione reuerſa eſt,
Rubraq; inoffenſis traiecit marmora plantis,
Cùm ſæuam glomerans tempeſtatem ignibus atris
Increpuit nubes, atq; alta cacumina Sinæ
Fulmine deijciens, ſuaq; horrida iuſſa per auras
Euulgans populo, Legem Deus edidit Orbi:
Clara voce ſonans, circùmq; iraſq;, minaſq;
Horrendùm ſpirans infuſum terruit agmen.
Concepêre metus, pauidiſq; ita mentibus aſtant
Attoniti, vt cœlum grauiter tonat omne tumultu,

Nec fugæ erat ratio, non ſpes, vlliúe receptus.
Illam igitur fatis fixam, ignaramq; moueri
Mente ſua, digitoq; ſuo ſub cordibus imis
Humani generis conſcriptam in origine prima,
Nunc iterum tabulis duro ex adamante paratis
Voce ſua repetit, populisq; inculcat habendam
Omnibus ex æquo, quocunq; è ſemine cretis,
Seu genus Iſacidæ, ſeu ſint à ſtirpe Iapheti.
Tùm populi trepidare metu, pedibusq; ſaluti
Conſulere, atq; alium ſubitò depoſcere fatis
Qui veniat medio, fandi cui gratia in ore
Blandior: aut ſubitò ad vocem, vultumq; ſeuerum
In cinerem verſi dio ſplendore fatiſcant.
En medio veniens ſummo de Patre creatus
Legifer hanc obijt ſortem, Moſenq; vocauit,
Et manibus Legem ipſe ſuis illi obtulit vltrò,
Hac ſtatuant cultum, & teneant ſe lege nepotes,
Ni faciant, furiæ excipiant, lethoq; reſoluant.
Hæc tum contigerant veteris ſub tempore pacti
Magnifica in potapa mirandis edita factis,
Signa Pater manifeſta ſuæ cùm oſtenderet iræ,
Iræ, quam rapidam, & ſpirantem faucibus ignem
Concipit in ſæuos auſus, & triſtia facta,
Vt labem fugiant homines, iramq; tremiſcant.
Nec dum etiam voces inhibet, ſæuosq; fragores,
Quos tonitru ingenti dedit alto in vertice Sinæ,
Dum ſtupet, attonitisq; animis immobile vulgus

Stat

Stat mutum, muſſatq́ metu, quæritq́ latebras:
Triſtibus at media ærumnis, & labe patrata
Aſtat, & horrendum tonat inter mille pauores
Pectoris, & calido expoſcit cùm ſanguine pœnas
Feruida Lex, circùmq́ atræ formidinis ora
Iræq́, pœnæq́, Dei comitatus aguntur.
Tunc autem ingenti fremitu vocem extulit altè,
Vt tot acerba hominum, & rerum diſcrimina mille
Supplicio immitti ſcirent, quod poſceret vltor
Iuſtitiæ ratione ſuæ, quam lege ſeuera
Sancijt, & firmam cupit, immotamq́ teneri.
Sed cùm ſigna noui cernis iam tempore pacti
Edita, dum cælo miſſum ſpirabile Numen
Fortibus increpitans flabris, tectum omne nitenti
Luce replet, linguis verba in diuerſa ſolutis,
Alitis ora gerens quæ Chaonis arua frequentat:
Solue metus, animumq́ iterum ſolamine dulci
Erige, & ætherei monumentum diſce fauoris,
Quo nos proſequitur bonus, atq́ indulget amori
Ipſe ſuo Deus, & donum, quo grandius ipſe
Non habet, humano generi concedit habendum,
Nempè ſuum Flatum, qui viuida flamma duorum
Et Patris, & Nati, qua ſe Natusq́, Paterq́ (eſt,
Mutuò amant, ſociaq́ hærent cum mente reuincti,
Alter & alterius dulci reſpondet amori,
Quæq́ abit hinc, rurſum redit inde reciproca flamma,
Exors ipſa æui, propria ſtans ſorte, reſultans
Numen

Numen idem, Patris, & Nati de numine eodem,
Cuncta creans, ſocioq́; fouens moderamine cuncta.
Ergo ſuo cordi iungit mea corda, ſuæq́;
Lucis inexhauſtum fontem, Sophiamq́; calentem
Excitat, vt ſacrum pluit in mea pectora Flatum.
Hunc cepêre viri, cùm deſuper igne caleſcunt,
Vimq́; huius ſenſêre animis, cùm fata futura
Commemorant, atq; ora ſono diſcordia ſoluunt,
Et gentes patriæ agnoſcunt commertia linguæ.
Hunc populi vidêre oculis, vt noſcere apertis
Ominibus poſſent, numero qui tertius eſſet,
Inſtar habens flammæ, cieat qui pectora motu
Naturæq́; ſuæ ſimili, legiq́; ſacratæ.
Vtq; animis exactum habeant, hoc æthere ab alto
Nunc quoq; demitti munus, ceu pignus amoris,
Auſpice quo recta vitæ ratione feramur,
Quiq́; Dei famam edoceat, pectusq́; ſerenet
Erroris nebula ſparſo cum lumine Verbi,
Ardoremq́; Dei cieat, rectiq́;, boniq́;,
Atq; animis ſubdat ſtimulos in vota, precesq́;.
Hunc Pater idcircò rectorem miſit Olympo,
Ieſſæamq́; domum ceu largo aſſudit oliuo,
Vt ſonitu Verbi præcordia credula firmet,
Quòd rurſum excipiat miti nos gratia regno,
Ira Dei & Chriſti de ſanguine preſſa reſidat.
Cùmq́; animos leuat is pauitantûm, & acerbà dolen-
Saucia lege Dei rurſum præcordia ſanans, (tûm

Solamenq́;

Solamenq́; mali præſtans, & gaudia fundens:
Omine tum tali firmati, & luce coruſca,
Continuò agnoſcant diuini ſigna fauoris,
Inq́; fide Verbi, genitor ceu prodidit Orbi
Immotum, veriq́; tenax, dubioq́; remotum,
Vota Deo fundant, gemitusq́; ad ſydera mittant
Affectu tali, quem pectore ſuſcitat imo
Halitus ille ſacer, quo ſedem impellit Olympi,
Atq; ratas facit eſſe preces, & pondus habere.
Is feßis medio aßiſtit diſcrimine rerum,
Inq́; foro cœli cùm nos ſententia Legis
In crimen vocat, & ſæuæ mens conſcia labis
Iam cauſa cadit, & duri inclementia Auerni
Stat prædam expectans: is noſtris partibus hæret
Ora ſono informans, & dictis pectora mulcet
Néue animum abijciant, néue à ſtatione recedánt,
Impellitq́; animos, reficitq́; in prælia vires,
Et radium vibrans diuinæ lucis ab alto
In mentes ferit æternæ primordia vitæ
Lætitia ſedes animi, ceu flore coronans,
Vnde Deo nidor ſacra velut halet ab ara
Carminibus, cultuq́; pio, votisq́; ſacratis.
O vtinam ſortem fragilem, molesq́; malorum,
Queis natura hominum velut hoſte oppreſſa laborat,
Auxilijq́; modum, quo nos Pater aſſerit vltrò,
Mente volutarent homines, & præmia laudum
Aßiduis ferrent precibus, quòd turbine tanto
Agmina

Agmina cogit adhuc diuini munere Verbi,
Quo natum vnigenam miſeris proponit habendum,
Qui tandem emicuit manifeſta in imagine carnis
Excidio dare Tartarei molimina regis,
Et turbata Dei ſimulacra refingere rurſus,
Antiquamq́ referre vicem, in ſolidoq́ locare
Parte ſui Flatus conceſſa, & numinis alti,
Quod lapſam reficit ſortem, fingitq́ nouando
Pectora, & ad priſcum generoſis motibus inſtar,
Nuſquam operi ipſe ſuo abſiſtens, redducere pergit,
Ac ſedes animi, ſibi pulcra palatia templi
Efficit, & viuens habitat ſub pectore Flatus,
Ipſe Dei Flatus, conſors in numine, & æuo.
Hei quantum ſcelus eſt polluto è pectore Flatum
Excuſſiſſe Dei, diuini & fœdera nexus
Eieciſſe animo, & factis temeraſſe nefandis,
Qualis Aron, qualisq́ lyræ, fundæq́ peritus,
Atq́ alij, quos ipſe viæ, cùm poſceret vltrò
His veniam Natus, pœnamq́ in ſe irrogat vnum,
Reſtituit Pater, & tandem miſeratus Olympo eſt.
O quanti hoc donum facerent, ſua ſi mala noſſent
Mortales, quos denſa premunt diſcrimina vitæ.
Ni comes aſſiduè lateri ſacer halitus aſtet:
Fraude animos ſtygia, atq́ immani turbine adactos
Continuò ruere, & ferri in ſua fata neceſſè eſt.
Hoc ſine, nil alti mens perficit, omnia venti
Irrita diſcerpunt, fruſtraq́ vrgendo laborem

Ingratum trahit, & ſaxum reuolubile voluit
Caſſus ope, & ſancta deſertus Numinis aura.
His ergo exemplis moniti, gnariq; malorum,
A Patre cæleſti rectorem hunc poſcite vitæ,
Qui greſſum informet dubia in regione viarum,
Perq; tot anfractus, & inhoſpita luſtra ferarum
Is nebulam abſtergit menti, & dans noſcere verum
Pandit iter ſuperûm, rectâq; inducit Olympo.
Ille ſonans vitæ leges, & dicta recludens
Cælica, doctrinæq; accendens lumen in Orbe
Seruat inextinctum, fixumq; in ſecla propagat.
Ille pios mandat meritis, & honore miniſtros
Afficere, & ſacræ perſoluere præmia ſortis.
Ergo agite, & grati tanto pro munere rerum,
Ut ſuus extet honos Verbo, ſemperq; ſuperſint
Qui præſint aris, diuinaq; ſacra miniſtrent:
Quiſq; ſacræ ſtipis æra volens deponat ad aram.
Sunt hæc pro merito ingenti, ſunt parua, fatemur,
Dona, ſed ipſa ſuum cælo quoq; habentia pondus.

FINIS.